GEORGII LVDOVICI HENRICI CAROLI WEDEMEYER
ELBINGERODANI

COMMENTATIO
HISTORIAM PATHOLOGICAM
PILORVM CORPORIS HVMANI
SISTENS.


IN CERTAMINE LITERARIO
CIVIVM
ACADEMIAE GOTTINGENSIS
DIE XV. NOVEMBRIS CIↃIↃCCCXI.
PRAEMIO A REGE WESTPHALIAE INDVLGENTISSIMO
CONSTITVTO
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS CONSENSV ATQVE
AVCTORITATE
ORNATA.

Studet optatam cursu contingere metam.
HORAT.

GOTTINGAE
TYPIS HENRICI DIETERICH.
MDCCCXII.

INDEX.

IV.



PROLE-

PROLEGOMENA.

Dignitas quaeftionis propofitae quamuis tanta, tàmque manifefta fit, vt vix non vnicuique primo iam intuitu maxime eluceat, nec prolixiorem explanationem poftulare videatur; nihilominus tamen eius expofitionem, (quippe quae e magno pilorum ipforum momento, circa quos totum verfatur hoc fpecimen, ita fluit, vt ad illuftrandam quaeftionis propofitae dignitatem, nil nifi illorum momentum exponendum fit,) hiftoriae pilorum pathologicae praemittere, non fuperfluum cenfeo, quamobrem pauca de ea praefari liceat. Cum vero pilorum dignitas maxima faltem ex parte ex iis, quae feorfim de eorum functione, morbofisque affectionibus proferemus, eluceat, hic loci paucis tantum eam delineare et amplecti fufficiet.

Triplex eft virtus, quae pilorum praefentiam et fanitatem nobis neceffariam et caram, eorum vero morbum et defluuium funeftum, noxiumque reddit. Prima autem ac praecipua crinium virtus talis eft, quae ad fanitatem corporisque robur feruandum, haud exiguam conferat partem; lapfis enim capillis, caput non modo armis quafi et tegmine fuo orbum et nudatum, maiori tempeftatis rigori, aërique frigidiori expofitum, facilius refrigeriis fubiicitur, fed ceffat etiam illorum functio, cuius de natura et momento pofthac prolixius loquemur. Supercilia autem et cilia, quibus oculi rite concluduntur, quo minus lux fortior et aliena quaeuis oculum irritent, impediunt. Pilis deinde praefentibus, corpus humanum maiori adornatur pulchritudine, maiorique venuftate, quod maxime in foedo caluitiei confpectu, praefertim cum in iuuenibus iam eueniat, elucet. — Crinium denique ope figna augentur, quae hominem a brutis discernunt. Homo enim, excepta caluaria, omnium fere mammalium minime pilofum eft animal; caluaria vero

prae caeteris animalibus, longioribus in homine ornata eſt capillis; ex quibus omnibus, quantum interſit, pilorum morbum et defluvium auerti, quisque facile intelliget.

Iam vero antequam ad hiſtoriam pilorum pathologicam transeamus, nonnulla adhuc, quae eorum Phyſiologiam magis quam Pathologiam ſpectant, ob maiorem rerum perſpicuitatem praemittantur neceſſe eſt.

Pili, qui totam corporis humani ſuperficiem externam et cutaneam, palma, planta, pene et palpebris exceptis, obducunt, et pro ſexu, et pro ea corporis parte, quam veſtiunt, non colore modo, ſed forma etiam, denſitate et frequentia denique inter ſe multifarie differunt. Sequior enim ſexus minori plerumque crinium copia per totam ſuperficiem, in primis vero ſub axillis et in pube, in capite autem longioribus (coma) praeditus eſt pilis; virilis contra ſexus in tota corporis ſuperficie frequentioribus, ſaepe criſpis pilis, capillis vero breuioribus (caeſarie) natura ornatus eſt. Praeterea barba, ſanis ſaltem deficiens mulieribus, iuueni autem maturiorem aetatem intranti, accedens, mentum decorat virile. Capilli natura longiſſimi et denſiſſimi ſunt corporis pili; qui pubem, perinaeum et axillas veſtiunt, prae capillis breuiores magisque discreti, prae caeteris tamen longiores, denſiores, et partim ob perpetuam harum partium frictionem, partim ob auctam earum perſpirationem cutaneam, plerumque rigidiores ſunt. Qui reliquam corporis obducunt ſuperficiem pili, infantibus adhuc lanugine ſi mollesque, prouectiore etiam aetate, quamuis longiores quam antea, ſemper tamen caeteris ſunt breuiores. De pilorum vero colore pro corporis parte et aetate diuerſo, poſthac plura dicemus.

Sunt quaedam corporis partes, antea obiter iam enumeratae, pilis omnino priuatae, partim ob perpetuam earum frictionem craſſioremque epidermidem, quam penetrare pili nequeunt (ſicut in palma et planta), partim ob adipis inopiam, cuius praeſentia incremento pilorum perquam fauere, et vix non ad eorum procreationem neceſſaria eſſe videtur. Palpebram enim atque penem et pilis et adipe orbum, pinguiores contra partes, axillas v. c. pubem

et

et perinaeum, pilofiores obferuamus, et quidem ob maiorem, vt videtur, earum calorem et perfpirationem cutaneam; adeoque exinde fieri videtur, vt caluities in fyncipite femper, vel ea capitis parte initium faciat, cuius cutis nulla vel parca tantum adipe feparata, offibus fubiacentibus infixa inhaereat a). — Quo faepius tondentur crines, eo craffiores et rigidiores proueniunt, quoniam tonfione facta pilis, pro minori eorum longitudine, plura fuppeditari videntur nutrimenta (quod maxime e tonfione barbae repetita apparet). Cum vero pilorum incrementum in diuerfis indiuiduis diuerfum videamus, nec pauca eximiae atque mirae fiue barbae fiue capillorum longitudinis exempla, vel aequales noftri confpexerint, vel a maioribus noftris acceperimus, facile nos defiderium vrget inquirendi, quid fit, quod vegetiori huic, maiorique pilorum incremento in diuerfis faueat hominibus. Quodfi curatius hanc rem nobiscum reputamus, partim auctum calorem animalem cum validiori corporis robore, partim maiorem principii accumulationem carbonacei, talem vim in pilos exercere videbimus, idque multis grauibusque rationibus arguere poterimus, quarum praecipuas tantum adiicere fufficiat.

Quotidiana fcilicet experientia et confuetudo, robuftiores homines prae debilioribus, laxioribus et pinguioribus, quorum humores in maiorem confumuntur obefitatem; iuuenes et viros prae infantibus effe pilofiores, femper nos docuere; iam vero et eos, qui feptentrionalem incolunt orbem, minori aëris calore intercedente, diminutaque viuentium illic perfpiratione cutanea, ideoque aucto calore interno; et eos, qui nullis velati veftimentis tempeftati aërisque frigori expofiti fub diuo incedunt, easdem ob caufas prae aliis multis pilofiores effe conftat b). Ob faciliorem nempe transfpirationis cutaneae ab externo frigore fuppreffionem, natura illos aliis, vt mihi videtur, fimilibusque organis, pilis fcilicet, inftruere

debuit,

a) V. Heurnii opera omnia; Lib. de morbis Capit. Cap. II. p. 317. *Breslauer Sammlungen* 1720. p. 111.

b) Quod de infularum pacifici oceani nonnullarum incolis ex itinerariorum nuntiis fide dignis accepimus.

debuit, quibus functio illa excretoria melius absolueretur, et materies perspirabilis in corpore retenta eliminaretur.

In nimia vero carbonii accumulatione in corpore (e fluxu v. c. menstruo obstructo) non maius solum, sed insolitum etiam pilorum incrementum, in iis scilicit locis, quos antea natura vel omnino crinibus destituerat, vel lanuginosis tantum vestiuerat, (qualia sunt mentum muliebre, ouaria, aliaeque corporis partes) nonnunquam obseruamus. Naeuis porro, lentiginibus, mammarumque areolae, quae a carbonio in iis deposito colorem suum fuscum accipiunt, haud raro longi inhaerent pili. Ob fluxum autem menstruum, quippe quo corpori magna carbonii detrahitur copia, mulieres minus sunt pilosae; nec contra tam facile caluae fiunt, quia prouectiore aetate fluxus cessat menstruus, carbonium hinc inde retinetur. Qui denique nigris praediti sunt pilis, biliososque homines, in quibus vtrisque carbonium praeponderat, piloſiores plerumque conspicimus; ex quibus omnibus, quid sit, quod vegetiori in diuersis corporibus faueat crinium incremento, satis illustratum esse speramus. Reliquum est, vt pauca de pilorum adiiciamus functione. Pilos esse organa excretoria, et exhalationis ope, cutis ad instar, calorem corporis temperare atque detrahere, extra omnia fere dubitationis est limina et a plurimis iamiam probatum; talem enim functionem excretoriam pilis subesse, arctus ille consensus pilos inter et cutem, pinguis et sordida materies pilis semper inhaerens, criticum porro e crinibus in plica polonica effluuium, tonsionis denique intempestiuae sequelae multaque alia argumenta satis superque docent. Materiem vero, quam excernunt crines quasi superfluam, oleosam semper et pinguem, ei quidem, quae functione cutanea perspiratur simillimam, multo tamen saturatiorem et pro illorum colore diuersam esse opinamur. Etenim cum flaui et albi crines alium, quam nigri et fusci spirent odorem, iure etiam materiem, quam excernunt pili, pro eorum coloribus diuersam esse suspicari possumus, et hinc inde res, si quid recte video, ita se habet, vt crines eius semper principii, ex quo colorem acceperint, quodque maxime in corpore praeponderare videtur, aliquantulum — flaui itaque et albi oxygenium, nigri vero

vero carbonium, et intermedii denique pili (fuſci, et ex fuſco rufi) carbonium cum iſto plus minusue iunctum — exhalent *c*).

Praeterea etiam carbonii magnam copiam e pilorum (nigrorum ſcilicet et fuſcorum, vt opinor) excerni canalibus, viri illuſtris (Osiander) obſeruatio iſta, tonſione pilorum fluxum augeri menſtruum, pilis hinc inde et menſtruis parem excerni materiem; nec non aliorum iſta, in Polonia praecipue ex tonſione fluxum haemorrhoidum profuſiorem fieri, ſatis ſuperque arguunt. — Praeter excretoriam functionem, talis etiam pilis ſubeſſe videtur, vt ex aëre ambiente pro eius natura, plus minusue electrica, corpori humano electrici fluidi vel detrahant vel aduehant aliquantulum; qualem horum pilorum vim, eorum erectio ex electrico fluido in corpus humanum translato, atque ſcintillae electricae, quas frictionis ope e pilorum apicibus in nonnullis animalibus elicere licet, aliaque phaenomena ſatis demonſtrant. — Sub pilorum denique tegmine perſpiratio cutanea vegetior ſuccedit, vnde magna ſaltem ex parte tonſionis capillorum ſequelae interdum damniferae deducendae ſunt. — Superciliorum autem et ciliorum functionem, nec non eam capillorum, quoad tutelam, quam capiti praeſtant, iamiam monuimus.

Iam vero ex tam ampla pilorum functione et vtilitate, crines nullomodo nulloque iure cum plantis paraſitis, veluti in corporis interitum ſint procreati, comparandos eſſe, ſed non exiguam conferre partem ad hominum ſanitatem ſeruandam, nec non interdum, cum eorum functio non ſine magno valetudinis detrimento perturbari queat, magna proferre incommoda et mala; facile elucebit. Quemadmodum autem crines in totius corporis valetudinem magnam exercent vim, ita contra totius corporis vel ſanitas vel morbus in pilos agit, vnde fit, vt plurimae horum affectiones morboſae non tam e proprio vitio, quam e totius organiſmi aegritudine emanent, ideoque aliorum plerumque morborum ſint ſequelae et ſymptomata, quod ex earum ſingularium deſcriptione luculentiſſime videbimus.

c) V. Cap. de coloribus pilor. Becker, *über die Einwirkung der Wärme und Kälte auf den menſchlichen Organism.* Gött. 1804. p. 47.

I.
DE PILORVM COLORIBVS.

Priusquam ad pilorum coloris anomalias transeamus, easque ſigillatim perluſtremus, ob maiorem rerum perſpicuitatem naturales crinium colores, eorumque originem et naturam cognoſcamus neceſſe eſt, qua propter de his paululum praefari liceat. Quadruplicem pilorum quoad colores varietatem, rufum ſcilicet, album, fuſcum et nigrum colorem, eosue plus minusue ſaturatos vel inter ſe mixtos animaduertimus, quorum tamen nullus inter morboſas crinium affectiones, neque inter anomalias numeratur. Pro hominum aetate, eaque corporis parte, quam veſtiunt pili, eorum color magnopere differt. Color crinium pubis et barbae prae capillis ſaturatior plerumque, nec raro, licet hi ſint fuſci, rufus conſpicitur. Quo minor aetas, eo albidiores, quo prouectior, eo fuſciores vtplurimum ſunt crines. Senes contra rurſus canis veſtiuntur capillis. Quodſi vero coloris originem in crinibus curatius exploramus, ex eo principio, quod maxime in corpore praeponderat noſtro, cuiusque pili quaſi receptacula et cutis ad inſtar organa excretoria eſſe videntur, illorum emanare colorem, facile apparet. Etenim flauum, albumue, vel ex flauo rufum crinium colorem e maiori praecipue oxygenii in corpore accumulatione, nigredinem contra e carbonii abundantia originem agnoſcere ſuam, ex ſequentibus luculenter fluere videtur. — Iſtarum ſcilicet, quae ſeptentrionali terrarum orbi proxime adiacent, regionum incolas, qui frigidiori denſiorique aere cum maiori oxygenii copia (licet ab aliis prorſus fere negata) veſcuntur, et ad desoxydantes, vt vocant, ſecretiones et excretiones magis disponuntur *d*), vtplurimum albis et flauis veſtitos eſſe pilis conſtat; ſic et hyemali appropinquante tempore, quo noſtrarum etiam regionum frigidior aer, et ipſa animalium corpora, ſeptentrionalium ad inſtar, oxygenio abundant, brutorum quaedam, pellem mutantia, pro leuiori aeſtiuali nigroque veſtimento, non ſine aliqua ſanitatis perturbatione, craſſiore et albo,

vel

d) V. Liebsch, *Grundriß der Anthropologie* p. 209 et ſeq. Becker l. c. p. 47.

vel ex rufo albo a natura induuntur, ne quid detrimenti a frigore capiant, eique melius refiftant. Regiones contra auftrales, quarum aer et incolae, ad phlogifticas fecretiones et excretiones magis difpofiti, carbonio abundant, quod maiori aëris calore ad cutem magis pilosque ex corpore propellitur, nigros vel fufcos exhibent incolas cum nigro plerumque pilorum colore. Regiones denique intermediae, quarum aëris fiue carbonium fiue oxygenium non tam praeponderat, quarumque incolae non tantopere ad alterutram fecretionem et excretionem funt difpofiti, maiorem colorum exhibent varietatem. Mulieres porro, quae ob largius, quam conuenit, carbonium copiofiori fluxu laborant menftruo, nigris plerumque capillis ornatae funt; quae contra parcis menftruis praeditae, ob minorem carbonii copiam flauis etiam vel albis pilis veftitae incedunt; neque alia eft caufa, cur infantes albis, viri nigris gaudeant crinibus. Biliofi denique homines, in quibus carbonium praeponderare conftat, nigris plerumque crinibus veftiuntur; ex quibus demum omnibus nigri et albi pilorum coloris fontem fatis illuftratum effe fperamus. Cum vero fudoris et materiae perfpirabilis in infantibus (albis crinibus veftitis) odor ammonio (azotici et hydrogenii connubio) refpondere *e*) et ex aliis etiam phaenomenis infantum corpora azotico fcatere videantur, an ideo forfan huic etiam principio vim aliquam in proferendo albo crinium colore tribuere iure poffimus?? Caeterum forma et pilorum color natiuus a parentibus acceptus, hereditarius femper, haud facile eluitur fede etiam et domicilio mutato. Israelitae etenim, quamvis per totum orbem terrarum disperfi, nusquam tamen pilorum formam natiuam et colorem hereditarium mutauere, fed proprium fuum et priftinum crinium colorem femper retinuere, nec non, cum non nifi religionis focias in matrimonium duxerint, inuicem propagauere.

Sunt vero, qui fubitaneam vel celerem faltem pilorum coloris mutationem in quibusdam morbis fe obferuaffe interdum, dicant, quorum tamen exempla et experientia non magna femper fide digna effe videntur; fic fubitaneae capillorum in febre phthifica

e) V. Osiander, *Entbind. Kunft* T. 2. p. 376.

ſica denigrationis exemplum legimus, aliudque nobis in promptu eſt *f*) vbi in ictero pilorum color in flauum mutatus eſſe dicitur, cui tamen nullomodo fidem habere poſſumus, cum e carbonio, quod in ictericis praeponderare conſtat, color pilorum nigreſcat quidem, nunquam vero flaueſcat. — Sunt contra et alii, qui capillorum coloris poſt mortem adeo mutationem manifeſtam obſeruatam contendant, quibus vero, niſi forſitan ab externis et manifeſtis cauſis mutatio talis ſit facta, haud maiorem habemus fiduciam *g*). Hactenus quidem de naturalibus pilorum coloribus. — Liquorum autem cauſticorum, aliorumque externa applicatione, nec non fucorum, vel et pectinum metallicorum ope naturalem pilorum colorem in alium et prorſus anomalum poſſe conuerti, vix hic admonendum fuit; ſic de viridi adeo et caeruleo crinium colore legimus, quorum vtrumque e metallicis prolatum vaporibus, et in metalli fuſoribus praecipue obſeruatum dicunt; viridem enim crinium colorem natura innatum eſſe, etſi a nonnullis obſeruatum ſit *h*), tamen nobis perſuaſum non habemus; acidorum autem nonnullorum ope, quibus carbonium ſub epidermide depoſitum in acidum carbonicum mutari, et qua tale perſpirari videtur *i*) flauum albumve, lapidis contra infernalis vel et plumbi acetici vi fuſcum vel nigrum crinibus indui colorem, vulgo cognitum eſt. De factitiis pilorum coloribus hoc iam ſufficiat, nec plura de his proferendi hic eſſe locum arbitramur. Iam vero ad vere anomalos illorum colores tranſeamus, quorum in numerum maculoſus praecipue, canus et albinorum iſte color ex flauo albus referuntur, quosque ſigillatim iamiam perluſtremus.

Nonnunquam ſcilicet in eodem homine, eademque eius parte diuerſos et omnino contrarios obſeruamus colores, quorum ipſe quondam vidi exemplum, cum eiusdem capitis partem poſteriorem minoremque canam, reliquam vero ſuperficiem nigram conſpicerem;

f) V. Riedlini lineae med. Ann. 1697. Febr. obſ. 7. p. 88.
g) V. Ephemer. nat. curioſ. Dec. I. Ann. I. obſ. 123. Dec. II. Ann. 8. obſ. 103.
h) V. Ephemer. natur. curioſ. Dec. II. Ann. 8. obſ. 103. Ann. 6. obſ. 226. Ann. 7. obſ. 155.
i) V. Liebsch l. c. p. 217.

ſpicerem; aliud autem hoc ipſo noſtro in noſocomio quondam cum pari ciliorum et cutis varietate obſeruatum eſt *k*).

Talem autem crinium varietatem innatam ſemper, nec raro hereditariam, ſi per vitae decurſum forte acciderit, quod a nonnullis obſeruatum eſt *l*), non niſi e partiali forſan cutis, quae pilis ſubiacet, laeſione vel morbo deriuare auſus ſim. Similem pilorum anomaliam in iis animaduertimus, quos vulgo maculoſos vocant Aethiopes, quorum et cutis et pili, vario et maculoſo (nigro et albo) colore tincti mirum praebent aſpectum, quosque vir illuſtris (Buffon), licet aliorum alia ſit opinio, e matrimonio Aethiopis albi (vel Albini, vt vocant) cum nigra ortos quondam deduxit. Iſte vero crinium color in Albinis ex flauo albus, ſemper innatus, nec raro hereditarius, et in Loangi regno *m*) endemicus, cum rubro ſemper Iridis colore coniunctus, non in hominibus ſolum, ſed in animalibus etiam nonnullis (cuniculis v. c. et muribus) interdum obſeruatur, et a plurimis quidem e nimia oxygenii accumulatione in corpore, carbonio contra deficiente, ab alio vero ſcriptore ex ſola carbonii prae aliis principiis penuria deducitur *n*).

Canitiei denique vnde veniat color priuus et ſingularis, quaeue eius proxima ſit cauſa, non tam facile explicitu eſt, nec tam indignum prolixiore expoſitione, quin fuſius diuerſas et praecipuas opiniones, quarum, cum omnium ſemper hac de re verſaretur diſſenſus, haud exigua eſt copia, adiiciamus, vt maturius iudicando, quaenam reliquis omnibus praeferenda ſit, videamus.

1) Veteres in obſtructione humorum in canalibus pilorum, vel in horum ſiccitate et pinguedinis inopia, vel in humoribus denique pituitoſis canitiei poſuere cauſam et colorem *o*).

Nemo illorum tamen vel obſtructionem talem, vel pituitoſos nimis humores in pilorum conſpexit canalibus; et nil niſi opinio fuit inanis, nulla nec ratione, nec experientia, cur talia crederent,

k) V. Ephemer. Nat. cur. Dec. III. Ann. 3. obſ. 184.
l) V. Liebsch l. c. p. 218.
m) Teſte viro illuſtri Blumenb., de oculis Leucaethiopum p. 11.
n) V. Liebsch l. c. p. 291.
o) V. Heurnii opera omnia. Lib. de morbis capitis cap. 5.

rent, fulta. Siccitatem autem vel et pinguedinis inopiam, ſequelas quidem earundem eſſe cauſarum, quae canitiem proferant, non tamen cauſas ipſas canitiei exiſtimamus, praeſertim cum e ſola illarum vi nondum ſatis pateat, vnde tam ſingularis canitiei color veniat. Sit grauior cauſa neceſſe eſt, in totius corporis valetudine ſita, talem quae proferat crinium mutationem.

2) Canitiem quaſi pilorum eſſe gangraenam, nemo eſt, qui arguere poſſit; nam cani etiam capilli haud raro vel ad mortem vsque, vel diutius, priusquam defluunt, nutriuntur, et tonſi creſcunt, nec ſicut aliae partes gangraenoſae inter mortuas numerandi ſunt *p*).

3) E perturbata vel et ſublata prorſus pilorum nutritione, ita vt non niſi ab epidermide, crines obducente, color iſte naſcatur, canitiei nonnulli deducunt originem. Talem autem de cani coloris origine opinionem non prorſus veram et probandam eſſe, ex eo iterum, quod cani etiam capilli nutriuntur adhuc, et tonſi denuo creſcunt, ſatis ſuperque liquet.

4) Contra nobis, ſi quid recte videmus, non tam ob imminutam pilorum nutritionem, ſicut illi opinati ſunt, quam ob perturbatam eorum functionem excretoriam, pilos in ſenibus praecipue canum aſſumere colorem, ex ſequentibus perſuaſum eſt: Etenim ſicut in ſenibus omnes fere functiones excretoriae, et quidem cutanea praecipue, vel omnino tolluntur, vel maxima ſaltem ex parte diminuuntur, ſic ea etiam, quae pilis ſubeſt, cuiusque ope materies ſemper aliqua oleoſa excrementitia, quae pilis ſuum dat colorem proprium, per crinium eiicitur canales, deſinit, iſta hinc inde in corpore retinetur, et priſtinus ille pilorum color, materies dum deficit colorans in illis, ſenſim ſenſimque euaneſcit. Sicut epidermis in ſenibus, quae totam corporis obducit ſuperficiem, ita ea etiam, quae crines veſtit, rigidior facta ſicceſcit, induratur, et perſpirationem hinc inde et humectationem quamuis praepedit, et ad maturiorem canitiem haud exiguam confert partem; ex quibus denique omnibus, maior illa canorum crinium ſiccitas, rigiditas, nec raro maior craſſities vnde veniant, porro cur non

p) V. cl. Himly *über den Brand* etc. p. 126.

non nifi nigri plerumque capilli canefcant *q*), manifeftiffime elucebit. Caeterum nefcio, an in fingulis quibusdam cafibus maior hydrogenii in corpore accumulatio aliquantulum conferre valeat ad maturiorem canitiem, cum in prouectiore faltem aetate maiorem fimul ad hydropem difpofitionem, ob magnam fyftematis lymphatici debilitatem, animaduertamus, et vna nobis in promptu fit obferuatio, a viro illuftri facta *r*) vbi ex hydrope cerebri in infante capilli nigri in colorem ex fufco album mutati fint. Sunt vero duae canitiei fpecies, fenilis fcilicet et iuuenilis, quae quoad caufas praecipue aliquantulum inter fe difcrepare videntur; iam vero de vtraque deinceps videbimus. Maiores noftri vtramque canitiem licet non iure femper ita diftinxerunt, vt iuuenilem e morbofis natam caufis, et venuftatem et pulchritudinem omnem foedantem a pilorum incipere radice, fenfim vero fenfimque furfum furgere; fenilem contra ex inopia nutritionis aliisque fenectutis fequelis natam, huius autem dignitati decorique inferuientem, vtpote fignum prodromum mortis, totum mox aggreffurae corpus, quae iam extremas eius corripuerit partes, ex apice ad radicem defcendere; pro certo vtriusque difcrimine haberent *s*). Canities fenilis lente femper accedens, et in temporibus plerumque initium faciens, haud raro defluuium capillorum ipfum praecedere folet. Ipfa autem natura, optima femper magiftra, canitiei fenilis analogum prorfus phaenomenon oculis noftris in arborum offert fronde. Quemadmodum enim folia fiue autumnali tempore ob frigidiorem aërem, fiue ob iniquam trunci nutritionem ficcefcunt et flauefcunt, ita prorfus lentiori tantummodo gradu, ob functionis pilorum excretoriae fuppreffionem, cum nutritionis et caloris inopia coniunctam, capilli ficci canefcere videntur. Praeter hasce autem naturales, nec euitandas fenectutis fequelas, quascunque praematurae canitiei caufas

q) Nigri enim capilli cum maiori totius corporis rigiditate coniuncti, et rigidiori epidermide obducti, perfpirationem et excretionem omnem maturius impediunt, et hinc inde facilius ad canitiem funt difpofiti, cum contra in flauis albidisque pilis mollior fit epidermis, et vegetior functio fuccedat excretoria, canities hinc inde retineatur.

r) V. Osiander in Commentar. Gotting. etc. T. 16. p. 88.

s) V. Heurnii opera l. c. — Foresti opera Lib. VIII. obf. X.

caufas enumerabimus, quotquot earum fint; et quidem hereditaria praecipue dispofitio et quaecunque hominum fanitatem debilitant et infringunt vel et cerebrum faepius infeftant, pofterae canitiei fenilis primam haud raro originem condere valent; citior denique canities poft apoplexiae impetum nonnunquam caput accedit fenile.

Iuuenilis feu praematura contra canities, maturius capillorum defluuium haud raro praefagiens, vel lente tantum, fenilis ad inftar, vel citius, quin fubito caput veftit humanum, vel innata denique confpicitur. Accidit nimirum interdum, vt vel e moerore graui vel e terrore magno et inopinato, vel ex amoris denique flagrantis defiderio *t*) capillitium breuiffimo tempore, vnaue nocte canefceret. Puer v. c., vt dicta exemplis illuftremus, ex altiffima delapfus rupe, in gremio arboris fcopulo proximae receptus, et huic inhaerens fervatus, cito canuit; capillitium pariter viri vefpere capite damnati, de nocte, cum in vincula effet coniectus, in canum mutatum colorem *u*).

Quodfi haec res ita fe habet, qualis a pluribus, quibus fidem habere poffumus, enarratur, huius quidem mirifici profecto phaenomeni explicatio, vnde tam fubitanea pilorum veniat mutatio, vix non extra omnes humani ingenii limites effe, eosque excedere videtur, vnde factum eft, vt e magno omnium hac de re diffenfu plures prodirent hypothefes, quarum nulla tamen canitiei originem fubitaneae fatis illuftraffe videtur. Alii nimirum ex terrore fubitaneam humorum ex corpore in crines euacuationem, difficilem licet intellectu, ex qua ifta nafcatur canities, fuppofuere *v*); alii deinde cerebri cum pilis confenfum in auxilium vocauere; alius denique vir illuftris (VAUQUELIN) acidi alicuius fecretionem fubitaneam fuppofuit, quae pilos ita decolorare queat — verofimile quidem hactenus, cum talem vim acidis ineffe videamus; caeterum tamen non fatis clarum, cum fontem, ex quo acidum illud tam fubito nafci et effluere queat, explorare non poffimus. Illud profecto ex omnibus elucet et conftat, haud exiguam partem hac in re magnae, nec

t) V. SCHENCK obf. medic. L. I. p. II.

u) Exempla plura vid. in VOIGTELS *pathol. Anatomie* B. I. p. 90. cum libris ibi citatis.

v) V. HUFEL. *Journal* B. 20. St. 4. p. 87.

nec impugnandae neruorum in crines vi esse imputandam. An vero chymicus forsan aliquis processus talem proferat mutationem coloris, etsi perquam probabile mihi videatur, nondum diiudicare audeo. — Non ita quidem subitaneam, sed exiguo tamen temporis spatio vel e vehementissima cephalalgia, vel ex acutissima et periculosa febri, vel denique nulla certa causa praegressa *w*), natam canitiem, interdum obseruatam esse constat. Ab hac autem subitaneae canitiei specie tam rara certe, quam mirifica, ea, quae lentius tantum accedens, quandoque iuuenile vestit caput, magnopere differt, nec tam innocentem semper originem agnoscens, e dissoluta plerumque et luxuriosa emanat vita. Cum vero hereditaria dispositio creberrima canitiei praematurae sit causa, nonnulli eos inprimis praemature hac ipsa affici suspicati sunt, qui a parentibus iamiam canis nati originem duxerint *x*). Quae tamen opinio neutiquam experientia semper confirmatur, sed de singulis tantummodo valet indiuiduis.

Ad praecipuas autem et creberrimas canitiei praematurae caussas, venus, siphilis et onania, frequentes eiusdem mali matres, spectant, quas primo semper, si forte consularis, requiras necesse est. Animi vero pathemata, quaecunque cerebrum et sensorium vehementer affligunt, et infestant, haud rariorem locum inter iuuenilis canitiei causas sibi poscunt, et magnam partem ad talem coloris mutationem in pilis conferre et contribuere valent. Moerore enim crebro et graui, tristitia, melancholia, crapulis frequentibus, et morbis denique mentalibus omnibus, insolatione porro vehementi, cephalaea crebra, et apoplexia denique canitiem magnopere accelerari, experientia multiplex nos docuit. Morbos quosvis crebros, acutissimos vel et diuturnos et lentos, crebras denique capitis refrigerationes, atque lotiones frigidas canitiem perquam maturare, saepenumero obseruandi datur occasio. Caeterum haud raro euenit, vt, nulla certa etiam praegressa causa, canities praematura in conspectum prodeat. Quod ad partialem denique canitiem attinet, hanc prius iam memorauimus.

Caeterum

w) V. Memoires of the medical Society of London Vol. III. App. n. 6.

x) V. Voigtels *pathol. Anatomie* B. I. p. 89. cum libris cit.

Caeterum quascunque canitiei praematurae enumerauimus caufas, eas ita vim fuam in crinium exercere colores, et canitiem illam proferre exiftimamus, vt vel nutritionis et perfpirationis functionem perturbent, vel fanitatem corporis peruertant et debilitent, vel et cerebrum et fenforium denique ita infeftent et affligant, vt ex arcto pilorum cum cerebro confenfu et nexu, de quo alias plura proferemus, talis illorum mutatio deduci debeat. Crifpus capillus in genere recto tardius canefcit; cholerici vero et qui nigris pilis veftiti incedunt, fenefcentes prae aliis faepius canefcunt. Mulieres contra faepenumero prae viris rarius et tardius canas confpicimus, fiue ob crebrum caufarum canitiei defectum, fiue ob maiorem in fenectute epidermidis mollitiem et vegetiorem transfpirationem cutaneam, fiue forfan denique ob fempiternam capitis muliebris velationem, fub qua pilorum nutritio et perfpiratio melius fuccedere videtur.

Quod ad congenitam denique canitiem attinet, plura eius exempla a veteribus iamiam accepimus, e quibus Schenck. v. c. *y*) canitiei innatae exemplum e magno matris, grauidae adhuc, terrore deriuauit. Integras autem olim fuiffe nationes natura canas, fama vagatur, nonnullique veterum fcriptorum litteris mandauere; fic de congenita canitie in montium Iudaeorum incolis endemica, legimus *z*). Hirfutiem cum omnium fere canitie pilorum per totum corpus extenfa, innatam, obferuatam legimus *a*). — Plurima tamen canitiei congenitae exempla inter fabulas effe numeranda nobis perfuafum eft; an vero in nonnullis eiusmodi exemplis, canitiei forfan hydrops fubfuit cerebri?

Prognofis in fananda canitie pro eius caufis diuerfa et dubia eft; fenilis enim, fi iam adeft infanabilis, vix caufarum euitatione vel praeuerti interdum vel retardari poteft. Iuuenilis contra remotis et ceffantibus caufis tum aegre et difficile, tum facilius, nec non natura interdum ipfa fanatur; faepius tamen et facilius praeverti et vitari poteft. Quae vero febres fequitur acutas, lapfis capillis

y) Schenck, obferuation. medicae.

z) V. Ephemerid. natur. curiof. Dec. II. Ann. 7. obf. 155. — Schenck obf. med. L. I. obf. 5. p. 14.

a) V. *Hamburg. Magazin* B. 22. St. 2. p. 115.

capillis canis, integrisque nigris restitutis, haud raro natura removetur ipsa. Saepius autem canities, praesertim senilis, in alopeciam vel caluitiem transit ob iniquam vt videtur nutritionem, easdemque ob caussas, e quibus antea canities emanauerat. In congenita denique canitie, spes nulla sanationis affulget.

II.

DE PILORVM CONSENSV ET DIGNITATE SEMIOTICA.

Pili, per mirum lateque extensum cum grauissimis corporis partibus organisque consensum, quauis fere valetudinis totius organismi vicissitudine multifarie afficiuntur et mutantur, nec sine magno hinc inde momento nonnunquam sunt, in cognoscenda morborum natura, origine et caussis. Vix quidem aliud corporis nostri organon primo intuitu tam inane, tamque exigui ponderis esse videtur, quod nihilominus prolixiore indagine ob magnum suum consensum grauesque functiones tantam habeat auctoritatem, et tantopere prolixiori nostra inuestigatione sit dignum. Cum vero e pilorum colore et textura, quale sit principium, quod maxime in corpore praedominatur, haud raro erui possit, nec non functionis crinium momentum, et pericula ex illius suppressione emanantia vulgo sint cognita, facile etiam, vnde veniat, apparebit, vt e pilorum natura, vitiis, frequentia vel et defectu non totius solum corporis robur et sanitas interdum cognoscatur, sed nonnunquam etiam malorum eluceat natura et origo. Caeterum quaecunque, cum de pilorum coloribus et functione loqueremur, dicta protulimus, in exponendo illorum consensu cum diuersis corporis partibus, quem sigillatim iamiam deinceps perlustrare liceat, non exiguum nobis ferent auxilium; initium itaque fiat disputando:

1) *De consensu pilorum cum cute et vnguibus.*

Cum maiori crinium nigredine, fuscum semper vel in australibus gentibus nigrum cutis colorem; cum crispioribus et rigidioribus pilis, asperiorem, et duriorem; cum albis denique, molliorem

rem et albam, nec raro ephelidibus punctam cutem, vulgo conspicimus iunctam. Vt autem in nonnullis animalibus pili, ita in aliis sub certa semper anni periodo, non sine magna sanitatis perturbatione, omnia deiiciuntur et mutantur integumenta communia *b*). — In eo morbo cutaneo, quem Lepram vulgo vocamus, pilorum, simulac malum ad summum fastigium peruenerit, colorem in album mutatum obseruarunt. Maculosos autem Aethiopes, quorum supra iam mentionem fecimus tam in pilis, quam in cute maculis ornatos esse constat. Aethiopum senescentium porro, dum albescunt capilli, cutis etiam *c*) nigredinem in subfuluum transire colorem, ab itinerariis nuntiatum accepimus. — Hirsuti denique homines rigidiori cute, hystricini contra maior ipilorum frequentia et longitudine ornati plerumque incedunt. — Multo tamen prae hominibus manifestior consensus in animalibus apparet nonnullis, quorum non cutis sola et pellis variegata et quidem vtraque iisdem semper locis maculis ornata, sed oris etiam cauum maculatum conspicitur.

Quod ad consensum vero pilos inter et vngues, partes cutis simillimas, cui iure hic locum fore rati sumus, attinet; de hoc etiam pauca adhuc dicemus:

Vtrumque organon (tam vngues, quam pili) omnium corporis humani partium minime putredini est obnoxium, quod e cadaueribus diu iam mortuorum maxime innotuit. — In summo plicae polonicae, (morbi pilorum, de quo alias plura dicemus), fastigio, tam vngues mirifice intorti, quam cutis, in excrescentias latas degenerans, mirandum in modum mutantur *d*). Nonnunquam denique cum crinium defluuio vnguium etiam lapsum obseruarunt coniunctum *e*). Iam vero talis vnde veniat similitudo symptomatum, e quorum consensu eum, qui pilos et cutem vnguesque intercedit, nexum conspicere licet, prolixius paululum perlustremus.

Corpo-

b) In Cancere v. c. Astaco.

c) V. Blumenbach. de oculis Leucaethiopum p. 16.

d) Animalia nonnulla pilorum loco aculeis corneis armata sunt v. c. Hystrix et Erinaceus. Sic et Struthionis Casuarii pennae laterales corneam habent substantiam, vnguibus similem.

e) Franck, *Grundsätze über die Behandlung der Krankheiten* B. 4. p. 117.

Corporis aërisque carbonium et oxygenium magnam habere vim in pilos, facileque eorum mutare colorem, formam et naturam, iamiam vidimus. Cutis vero colorem diuerſum e maiori minoriue, aut carbonii, aut oxygenii in corpore aëreque abundantia originem ducere ſuam, non minus conſtat; ergo etiam cum aëris corporisque naturam diuerſam aeque in pilos ac in cutem agere, pariterque eorum mutare colorem et naturam videamus, conſenſus iſte vnde veniat, quoad colorem ſaltem et maiorem minoremue rigiditatem, facile apparebit. Quaerenti autem vnde veniat, vt eadem aëris corporisque natura et crinium et cutis colorem pariter poſſit mutare, ſtructurae et functionis vtriusque organi opponemus ſimilitudinem. Functionem enim, parem vel ſimilem ſaltem, ſuperfluam corporis materiem perſpiratione excernendi, et cuti et pilis eſſe propriam, haud amplius iure dubitare poſſumus. Crines autem ab eadem epidermide, qua cutis totaque corporis ſuperficies, obducuntur, ſub qua vbique materiem iſtam excrementitiam, (in Afris v. c. carbonaceam) depoſitam conſpicimus; itaque e rerum analogia, cum ſimul et pilorum et cutis colorem pro diuerſa iſta aëris et corporis natura pari paſſu mutatum obſervemus, in tanta ſtructurae et functionis vtriusque organi ſimilitudine haud minori iure argumentari poſſumus, quaecunque alterius mutent naturam, ea pariter et alterum afficere; facileque exinde amborum apparet conſenſus eiusque origo. Qualis autem res in cute, ita in vnguibus etiam cuti ſimillimis ſe habet.

2) *De conſenſu pilorum cum oculis.*

Capillos nigros et fuſcos cum oculis fuſcis vel et nigris; albos contra aut rufos crines cum caeruleo iridis colore, (quales et oculi et crines noſtris maioribus tribuebantur olim, teſte Iuuenali) plerumque coniunctos obſeruamus. — Luculentiſſime autem pilorum iſte conſenſus in iis, qui crinium illo colore intermedio ex flauo albo, oculis vero rubris ornati, vulgo Albini vocantur, apparet, in quibus e carbonii penuria defectum nigri oculorum pigmenti, morboſam contra oxygenii accumulationem in rubro

iridis criniumque colore ex flauo albo cognofcimus *f*). Similem et crinium et oculorum colorem anomalum, in iis cuniculis, qui candidiffimis crinibus oculisque rubris ornati funt, ideoque et Albini vocantur, aliisque in animalibus pari mutationi obnoxiis (in *muribus* v. c.) confpicuum animaduertimus. — Quorum autem animalium pellis variegata, eorum iris etiam variis coloribus haud raro eft tincta. — In neonatis, quorum capillos vt plurimum albos effe diximus, caefius eft oculorum color. Senum etiam, capilli dum pallefcunt, nigrum iridis colorem in album tranfire quandoque obferuamus *g*). Maculofi denique Aethiopes tam in oculis, quam in cute et pilis, albis ornati maculis incedunt *h*). Quae cum ita fint, vnde tam confpicuus oculorum cum pilis confenfus nafcatur, vnde par, vel fimilis femper oculorum cum pilis veniat color, vix prolixiorem expofitionem poftulare videtur. In tenerrima ifta fcilicet tela cellulofa, cui pigmentum inhaeret nigrum, ficut fub capillorum epidermide, eaque, quae Aethiopum obducit corium, carbonium deponitur. Quatenus igitur corpus humanum carbonio vel fcatet vel caret, ita pari paffu tam pilorum vt antea vidimus, quam oculorum color mutetur neceffe eft, vnde facile confenfus ifte elucebit.

3) *De confenfu pilorum cum partibus genitalibus et functione fexuali.*

Phaenomena, quae ex ifto confenfu oculis noftris fe praebent, tam varia funt tamque fingularia, vt magnus paginarum numerus de iis a nobis confcribi et expleri poffit, nifi hoc fuperfluum cenferemus, quamobrem non nifi fuccinctam eorum defcriptionem trademus. — Iuuenum, pubertatis intrantium annos, mentum, dum functio fexualis et libido magis magisque fufcitatur et animatur, primaque dum euenit fecretio fpermatis aucta, initio quidem lanugine tantum veftitur, pofthac vero barba decoratur virili. Praeterea femper, tam cum fpermatis in iuuenibus fecretione copiofiori, quam cum primo puellarum fluxu menftruo, maiorem vim productiuam, vegetiusque crinium iunctum confpicimus incrementum,

f) V. Blumenb. de oculis Leucaethiop.

g) V. Blumenb. l. c. p. 16.

h) V. Girtanner *über* Kants *Princip für die Naturgefchichte.*

tum, ita vt non in pube ſola, ſed in tota etiam corporis ſuperficie, inprimis autem in perinaeo, ſub axillis, ad anum et in pectore, plures fortioresque et fuſciores plerumque proueniant pili. Puellarum autem mentum, vbi prima earum molimina menſtrualia ob morboſam aliquam cauſam (ſicut in phthiſicis, chloroticis, hyſtericis aliisque) haud bene, nec iuſto ſemper tempore ſuccedunt, vel diutius, quam par eſt, fluxus retinetur menſtruus, eadem iſta, qua iuuenum, veſtitur lanugine, quae nonnunquam adeo in iis, quarum fluxus menſtruus vel omnino nunquam adparuit, quamuis pro aetate diu iam debuiſſet, vel omnino ſuppreſſus et obſtructus disparuit, etſi pro aetate id rite nondum fieri potuiſſet, quasque vulgo, ſi et reliquam naturam deponunt muliebrem, virilem contra ſibi induunt, viragines vocant, in virilem ac longam mutatur barbam. Praeter barbam vero virilem in eadem morboſa genitalium muliebrium affectione, inſolitum etiam pilorum incrementum, in iis nimirum locis, qui antea omnino fuere depiles, quandoque obſeruamus *i*).

Qui, teſtibus matura caſtratione priuati, quaſi effoeminati ſunt, vel omnino nunquam gaudent barba, vel eam, ſi iam adfuit, amiſſis teſtibus defluere vident nulla relicta ſpe, vt vnquam reſtituatur. — Tonſione capillorum, quippe qua aliquod carbonii organon excretorium diruatur, teſte viro illuſtri (Osiander) fluxus in puellis augetur menſtruus. E nimio autem functionis ſexualis et genitalium abuſu, ſiue nimio coitu, ſiue onania et profuſa quauis ſpermatis virilis excretione capillos ita affectos videmus, vt vel praematura laborent canitie, vel in flore aetatis ipſo iam defluant, iſtumque proferant morbum pilorum foedum, quem alopeciam vulgo vocamus, cuius, ſi in iuuenibus iam accidit, iſta praecipua et creberrima eſt cauſa. Phaenomenis, quae mirandum illum conſenſum pilos inter et genitalia teſtantur, breuiter expoſitis, rurſus vnde veniat ille, quaeue ſit eius origo, inquiramus, quamuis expoſitio eius maiora nobis obiiciat obſtacula, quam vsque nunc in aliorum explicatione conſenſuum nobis obſtiterint. Nulla enim ſtructurae

 pilos

i) Plura hac de re, in eo, quod de nimio pilorum aget incremento, capite proferemus.

pilos inter et genitalia exhibetur ſimilitudo; nullae adſunt arteriarum anaſtomoſes, nullus denique neruorum nexus, nec functionis magna ſimilitudo, quorum ope mirus ille conſenſus deduci poſſit. Nihilominus tamen pro virili noſtra parte eum illuſtrare ſtudebimus.

Auctum illud pilorum incrementum in puellarum pube, dum prima ſe manifeſtant molimina menſtrualia, e nimia forſan humorum congeſtione ad partes genitalibus vicinas, maiorique tum temporis carbonii accumulatione, vel e vegetiori denique vi in puellarum corporibus productiua deriuandum cenſemus. Auctum vero pilorum incrementum e menſtruatione ſuppreſſa vel obſtructa, e nimio carbonio, morboſa iſta genitalium affectione in corpore retento, deducendum eſſe, neminem credimus dubitaturum. Ad defluuium autem capillorum atque canitiem praematuram e nimio veneris abuſu et profuſa quauis ſpermatis excretione, *et* conſenſus ille pilos intercedens et cerebrum, vitio iſto vehementer nimis affectum (de quo mox plura dicemus) *et* ipſa ſecretio ſpermatis accelerata et iuſto copioſior, exque ea nata plaſticae in ſanguine lymphae inopia, *et* perturbata denique nutritionis functio, quam ſaepenumero cauſam tam canitiei quam praematuri capillorum defluuii animaduertimus, maximam partem conferre videntur. Vnde autem ſingulare illud pilorum incrementum in iuuenum pube, ſub axillis, in perinaeo et in pectore, cum prima auctaque eorum ſecretio ſpermatis fiat, qualis deinde eodem tempore barbae origo, difficilius eſt explicitu, necdum hodie, niſi fallor, ſatis exploratum. Nunquam enim in partes eorum, qui reſorptionem et reditum ſpermatis virilis in ſanguinem eſſe credunt, qui tale pilorum barbae aliarumque partium incrementum in iuuenibus proferat, ſperma hinc inde pilorum quaſi materiem nutrientem accipiunt, abeundum cenſeremus, partim quoniam e veſiculis ſeminalibus nil niſi ſeroſa ſpermatis pars reſorberi videtur, neque vnquam huic talis tribuetur vis, partim quoniam neque minorem neque tardiorem barbae prouentum prae aliis in iis conſpicimus iuuenibus, qui ſiue crebro onaniae vitio, ſiue coitu creberrime ſpermatis promouent eiaculationem, et hinc inde quamuis eius reſorptionem magnopere

prohi-

prohibent; nec plane intelligimus, cur pilorum barbae, axillarum, pubis etc. alia, quam capillorum, origo sit supponenda, quorum nempe incremento nemo vnquam, cum in foetu iam eueniat, resorptionem spermatis subesse contendet. Longe aliter tam singulare crinium incrementum in pubertatis annis deriuandum esse nobis persuasum est, nostramque hac de re opinionem palam profiteri liceat.

Quamquam scilicet vegetiori et quasi in pubertatis periodo denuo excitato nisui formatiuo, — cuius ope in hac vltima incrementi corporis periodo reliqua omnia organa, quae nondum satis euoluta et accommodata diuersis suis inseruiunt finibus, vt pectus, genitalia et crines inprimis, penitus perficiantur et ad diuersas suas aptentur functiones, — haud exigua pars in nouo hoc pilorum prouentu imputanda esse videtur, non tamen soli huic periodo eiusque vi productiuae omne hoc opus tribuendum censeo. Carbonium contra, quod cum aetate ipsa magis magisque increscere alias iam vidimus, et in virginibus quidem fluxu eliminatur menstruo, nec ideo in maius, vel tantum, quam in adolescentibus virilis sexus, incrementum pilorum consumi et adhiberi potest, in iuuenum corporibus *k*) magis, relatiue saltem, praeponderare, eoque liberius hinc inde, cum non sicut in virginibus fluxu eliminetur menstruo, pilorum barbae aliarumque partium incremento fauere videtur, quorum e fonte et canalibus superflua eiusdem pars ex sapientissima naturae institutione excerni possit, ita vt carbonium in virginibus fluxus menstrui auxilio eiectum, in iuuenibus magna saltem ex parte per crinium eliminetur canales. Quod quidem ista etiam fulcitur experientia, eos, qui onaniae vitio sese inquinent, nisi id frequenter nimis fiat, ita vt tota diruatur sanitas, maiori haud raro et maturiori (ob azotici excretionem, vt opinor) vestiri barba. An exinde etiam barbae forsan inopia in eunuchis, vel eius e castratione defluuium, aliquantulum illustrari queat, haud diiudicauerim.

4) *De*

k) Praesertim cum profusiore spermatis secretione maior principii azotici copia ex organismo eiiciatur, nec amplius sic vt antea, carbonii vim debilitet et in fines suos coerceat.

4) *De consensu pilorum cum cerebro, sensorio animique facultatibus.*

Consensum pilos inter et cerebrum atque mentem, omnium nisi fallor grauissimum, et phaenomena, quae talem consensum testantur atque illustrant, summa admiratione digna, quorum pars altera Physiologiam magis, altera Pathologiam spectare videtur, iamiam accuratius perscrutari studeamus. — Mirum quantum scilicet nexum pilos inter et hominum temperamenta animique indolem et sagacitatem mentis, non quoad illorum colorem solum, sed quoad texturam etiam conspicimus; cholericum enim et melancholicum temperamentum, atrox porro et pertinax ingenium e nigris, crispis rigidisque pilis haud raro cognoscendum est; sanguineum contra et phlegmaticum temperamentum, nec non mitis animi indoles ex albidis capillis saepe elucet. Rufos in genere astutissimos et callidissimos, siue optimae, siue pessimae animi indolis, medium fere nunquam tenentes vulgo existimamus. Quae quidem omnia mira ista etiam fulciuntur experientia, quae scilicet nos docuit, inter eos, quae vinculis et carceribus ob crimina sceleraque commissa coerceantur, magnam semper copiam rufarum mulierum, virorum autem nigris rigidisque capillis vestitorum exhiberi, albis contra crinibus vestitos et viros et mulieres inter rarissima numerandos esse exempla. Crispos denique crines acutius quidem ingenium, sed maiorem etiam libidinem testari, vulgo opinantur. — Haec quidem physiologiam magis spectabant, iam vero pathologica etiam videamus.

Diuturnum acerbumque moerorem canitiem perquam maturare, subitaneam vero canitiem ex horrendo terrore nonnunquam prolatam esse, supra iam memorauimus; crebro vero moerore non canitiem modo sed et defluuium capillorum ipsum adduci, tum, cum de lapsu agemus pilorum, prolixius videbimus. — Ex iracundia, vel si quid horrendi et inopinati accidit, non tam in hominibus, quam in mammalibus nonnullis, vna cum cerebro pilos etiam ita affectos videmus, (et quidem in brutis dorsales praecipue ad longitudinem medullae spinalis) vt sursum erecti horreant et vel terrorem vel furorem iramque indicent. — In hydrope cerebri capillos in albos mutatos esse, supra iam diximus. — Morbos

mentis

mentis autem nigrum capillorum colorem, dum ad fummam faevitiam crefcant, haud raro in canum mutare animaduertimus; rufi contra et flaui maniaci inter rariffima numerandi funt exempla, (quorum nos faltem nullum legimus) quod in morodochiis vel in aedificiis, ad fanandos maniacos deftinatis, obferuandi faepenumero datur occafio; ex quibus fimul, maniam, quo magis aegroti capilli fint nigri, eo facilius in furorem et infaniam tranfire, compertum habemus. In reliquis etiam corporis humani morbis, quibus quafi fpecifica ineft vis in cerebrum infefte agendi, capilli interdum ita afficiuntur, vt vel colorem fuum proprium deponant et mutent, et alium (haud raro canum) fibi induant, vel prorfus defluant *l*). Confenfus denique cerebrum inter et crines ex incommodis et morbis tonfione intempeftiua cerebro illatis manifeftiffime elucet.

Quorum phaenomenorum quaenam fit origo, quamuis omnium difficillima deriuatu, aliqua ex parte tamen ex iis, quae feorfim proferemus, illuftrari poffe videtur. Quodfi nempe magnam iftam fymptomatum varietatem, quae hunc teftantur confenfum, iterum iterumque animo noftro reuoluimus, vix non arctiorem nexum cerebrum inter et crines fupponere poffumus, quamuis nec nervorum, nec vaforum, tam fanguiferorum, quam lymphaticorum magni appareant plexus, quorum ope confenfus ifte illuftretur; itaque veterum iftam opinionem, pilos ipfos effe neruorum fines, licet recentioribus inueftigationibus prorfus refutatam, vel atmofphaeram faltem aliquam neruofam pilos ambientem et ex eorum canalibus progredientem, ad deriuandum illum confenfum, vix prorfus reiiciendam cenfemus, quippe qua mira ifta pilorum in dorfo et capite erectio, quam non ita raro in iratis animaduertimus animalibus, nec non minori gradu interdum in hominum etiam capillis confpicimus, multaque alia optime illuftrari poffe videantur. Neque fpaftica enim affectio, qua pilorum euacuentur humores, et ipfi erigantur, qualis celeberrimi viri opinio *m*), quid-

l) Qualis res nonnunquam euenit in febribus neruofis, putridis, cephalalgia graui aliisque in morbis.

m) V. Alibert.

quidquam ad illam crinium erectionem, vnde veniat, explicandam conferre videtur, neque sola spastica cutis constrictio, a multis supposita, huic satisfacere potest quaestioni, neque erectionem denique istam capillorum in terrore e nimia et subitanea humorum accumulatione in pilis originem ducere suam, profecto mihi persuasum est *n*).

Mihi contra, quod et alii iam supposuere *o*), grauioribus animi pathematibus, siue terrore et moerore, siue ira feroci cum maiori aestu et calore, maiorem etiam electrici fluidi copiam, in corpore prolatam, e crinium canalibus, quibus talis subsit functio, excerni, et hinc inde talem pilorum fieri erectionem, e duabus rationibus statim adiiciendis verisimillimum esse videtur; electrico scilicet fluido extrinsecus in corpus et pilos translato, ex cognito satis experimento, idem phaenomenon prolatum obseruamus; et sic pariter animalia praeterea omnium maxime electrica, quales feles v. c. et canes, quod luculenter e pilorum frictione manifestatur, ira furoreque irritata, pilos facillime in dorso erigunt. Caeteroquin omnino istius electricae pilorum vis in illustrando eorum consensu cum cerebro nonnullisque exinde natis phaenomenis non satis rationem haberi, mihi persuasum est. Sunt tamen et aliae res, quae ad illius explicationem haud exiguam partem mihi conferre videntur. Etenim ea v. c. etiam principia, quibus corpus scatet, quaeque pilis dant colorem et texturam diuersam, non exiguam vim in cerebrum exercent, et hinc inde consensum istum (quoad pilorum saltem formam et colorem) cum temperamentis, animique indole facile intelligimus.

Crinium autem functionem excretoriam non sine magno esse momento, nec sine magno sanitatis et cerebri praecipue detrimento posse supprimi, facile est intellectu, quod quidem maxime etiam e tonsionis intempestiuae sequelis apparet. Capilli denique, dum capitis superficiem vestiunt, capitis et cerebri tutelae et praesidio, quo minus tempestatis rigori et impetibus quibusuis externis exposita sint, inseruiunt, et ob id ipsum vim aliquam in illud obtinere videntur.

5) De

n) V. Hufelands *Journal der pract. Heilkunde* B. 20. St. 4. p. 86.
o) V. Hufeland l. c.

5) *De consensu pilorum cum totius valetudine corporis humani.*

Ad modo dictum, eumque caeteris, momento et grauitate, in cognoscendis hominum morbis praecipue, nequaquam cedentem, consensum crinium transeamus, cuius vero phaenomena aliqua ex parte saltem iam ex iis, quae de caeteris pilorumque functione dicta protulimus, elucebunt.

Crinium frequentia, rigiditas et nigredo in vniuersum certa sunt signa fortioris, validiorisque corporis; debilioris contra, rariores, albidiores et molliores capilli; nec pauca accepimus exempla, vbi eximium corporis robur cum insigni vel barbae vel capillorum longitudine coniunctum fuit, nequaquam tamen illud, vt olim crediderunt, ex hac deriuaturi.

Moderata quidem secretio et eiaculatio spermatis virilis in iuvenibus crinium incremento fauere videtur; immodica autem, qua corporis sanitas funditus diruatur, (qualis in onania et nimio coitu euenit) crinium diminuit frequentiam, eorumque efficit defluvium *p*). Magna corporis debilitas, et morbus quiuis, qui robur et sanitatem infringit (phthisis, febris neruosa etc.) pilis inimicus, diminuendo nutritionem, eorum adducit defluuium. Singularem vero pilorum mutationem in mania, hydrope cerebri et lepra aliisque in morbis alias iam memorauimus. In viraginibus porro, cum maiori crinium incremento, viriliorem etiam et robustiorem corporis animaduertimus constitutionem et naturam. Ob amplas denique functiones crines magnum exercent imperium in totius corporis sanitatem, quod quidem optime ex illarum suppressione, tonsione intempestiua adducta, conspicere licebit. Non tamen consensus ille tam in hominibus, quam in mammalibus nonnullis auibusque conspicuus apparet, quippe quae inter periodicam pilorum plumarumue mutationem, summa moestitia affecta, debilitate, anorexia aliisque id genus affectibus morbosis laborent, qui tamen non tam e lapsu pilorum ipso, quam e causis hunc ipsum inducentibus deriuandi mihi videntur.

De

p) V. caput de consensu pilorum cum genitalibus partibus.

De reliquis eiusmodi phaenomenis vel prius iam locuti ſumus, vel plura etiam, prout conueniet, adiiciemus, nec quidquam hic loci praeter explicationem, vnde veniat iſte conſenſus, amplius proferendum erit. Caeterum huius origo non tam difficilis eſt illuſtratu, cum primo iam intuitu, pilorum functionem haud exiguam conferre partem ad meliorem hominum valetudinem cuilibet luculenter appareat, neque difficilius, quaecunque pilorum mutent colorem et texturam, ea non minorem habere vim in totum noſtrum organiſmum, eluceat. Carbonium hinc inde, vt vnum ex omnibus tantum excipiam, vt pilos nigro ornet colore, maiorique armet rigiditate, eorumque faueat incremento, ſic et ſanitatem magnopere roborare, partim maius virorum prae mulieribus robur, quibus certa ſemper temporis periodo carbonium fluxu detrahatur menſtruo, partim virilitas et maius rôbur viraginum e menſtruis obſtructis, multaque alia exempla abunde docent; itaque demum errorem etiam iſtum permagnum, maius illud corporis robur e maiori pilorum frequentia et longitudine eſſe deducendum, quod non veteres ſoli, ſed et recentiorum nonnulli crediderunt, et hodie credunt, prorſus fugaſſe ſperamus.

Quae cum omnia ita ſint, nil denique, cum e quouis pilorum conſenſu cum aliis partibus, eiusque ſignis et phaenomenis ſigillatim etiam eorum dignitas fluat ſemiotica, tam de hac, quam de conſenſu illorum ipſo adiiciendum putamus, ideoque ad proximam tranſire licebit ſectionem.

III.

DE PLICA POLONICA.

Non ita magnum librum de plica conſcribere, quippe de qua magna iam nobis adſint volumina et celeberrima quidem, quam ſuccinctam tantum ſynopſin, celeberrimorum ſententias ſcriptorum, "quaeque nuperis maxime temporibus de ea obſeruata et diſputata ſint", legibus ipſis certaminis noſtri monentibus, hic exponere

ponere et noſtram denique quantulamcunque de illis opinionem, quamuis propria deficiente experientia, adiicere nobis propoſitum eſt.

Magna nominum, quae vnum idemque hoc malum ſignificant, eſt varietas; nam plica polonica, trichoma, tricae incuborum, morbus cirrorum, lues denique pocutienſis, multaque alia cuiusuis linguae diuerſa, ſynonyma ſunt, quorum etymologia partim e morbi forma et natura, partim ab eius cauſis putatitiis deducenda eſt, quaeque cuncta hic adiicere, cum de iis alias accuratius ſit diſputatum *q*), ſuperfluum cenſui. Sunt autem duae plicae polonicae ſpecies, vera ſcilicet et ſpuria, de quarum vtraque deinceps dicemus. Iam vero agamus:

1) *De vera plica polonica.*

Quot autem, quantaque mala, quaeue mortalitas et miſeria e vera plica polonica, Poloniae quaſi peſte, cuius ſaeuitia nonnunquam cum paucis tantum aliis morbis comparari poſſit, pro hominum memoria et ex antiquiſſimis iamiam temporibus in Polonos redundauerint, vix quidem tam breui tempore deſcriptione amplecti poterimus, maxima tamen ex parte ex iis, quae de morbi natura, iisque malis, quae plicae eruptionem vel praecedere vel comitari vel demum ſequi ſoleant, pro virili noſtra parte illuſtrare ſtudebimus.

Signa autem prodroma, quae morbum plerumque praenuntiant, et ſymptomata, quae morbum iam perfectum comitari ſolent, et e plicae ipſius materie morboſa proferuntur, praeter vulgaria quaeuis arthritica et rheumatica incommoda et mala *r*) morbi ſunt ſyſtematis neruoſi et mentis, ſopor et deliria; vlcera deinde ſcorbuticis et venereis ſimillima, rachitis, ſcrophulae, ſtruma, caries et ſphacelus denique multaque alia productiui praecipue ſyſtematis mala, quae quidem vel breuius, vel diutius, tum mitiora, tum vehemen-

q) V. Mémoires ſur la plique polonaiſe par Vicat, Lauſanne 1775, p. 9.

r) Incluſis amauroſi, cataracta, phthiſi, menſtruationis anomaliis, malacia et nimia adeo oſſium fragilitate, omnibusque aliis morbis arthriticae originis, quotquot eorum ſint.

mentiora, antequam plica ipſa erupit, praecedere ſolent, nec raro furore ſuo in primo iam morbi ſtadio lethalia, aegri vires exhauriunt. Quae vero ſymptomata proximam plicae eruptionem praeſagiunt, ſunt ſudor foetidus, putridus, viſcidus in tota corporis ſuperficie, ſub capillis autem praecipue excretus, — ſopor, pallor, ſubſultus tendinum artuumque dolores et capillorum denique criſpatura ſpontanea ſubitaque ſub formicationis in capite ſenſu. Talia inter ſymptomata materies ipſa plicae morboſa e vaſis ad cutem magis propellitur et ex cute in pilorum transgreditur canales cylindriacos, quorum e fonte et poris exſudata in caput interque crines effluit, et vel omnes capillos contortos et complicatos in vnum quaſi pileum villoſum, (plica mitralis ſeu feminea, quia non niſi feminas affligat) vel in ſingulos plures funiculos, reſtes ſeu cirros, (ad 78 in vno capite) intactis interdum pilorum apicibus, haud raro ad inſignem longitudinem (ad femur vsque et plus vltra) a capite inſtar caudarum glirium dependentes (plica mas, reſtiformis, viros tantum ornans) quos mortalis nemo rurſus expedire valebit, conglutinat *s*).

Nonnunquam adeo obſeruatum eſt, materie illa viſcida, a tergo vrgente, pilorum canales ita repletos et dilatatos eſſe, vt illi ferendae impares rumperentur et magnam liquoris copiam in caput effunderent. Sanguinem autem ipſum quandoque in pilos intraſſe et ex eorum poris prodiiſſe, quod a nonnullis obſeruatum legimus, e meliorum doctiorumque iudicio ſcriptorum nulla fulcitur experientia, ſed inter opticas fortaſſe numerandum eſt fallacias, dum liuida et fuſca iſta materies aliquantulum ſaltem putrido ſanguini ſimilis eſſe videatur. — Exſudato denique viſcido illo humore haud raro euenit, vt magna vermium et pediculorum turba hasce occupans partes, victumque quaerens, aegri inſuper augeat incommoda et tormenta.

Ipſa autem plicae eruptio rarius omni deſtituta eſt febri, ſaepius contra cum ea complicita prodit, quae neruoſam prae ſe fert indolem et cerebrum potiſſimum afficere videtur. Libenter praeterea luem veneream, ſcorbutum, ſcabiem aliaque id genus mala cum

s) V. Halleri diſputat. med. pract. T. I. p. 150.

cum plica copulata videmus, ita adeo e nonnullorum opinione, vt ii, qui lue venerea vel ſcorbuto ſint grauati, facilius plica corripiantur, illorum autem complicatio hanc periculoſiorem et vehementiorem reddat. Tineam denique capitis alterne nonnunquam cum plica Polonos affligere, ab aliis obſeruatum legimus.

Caeterum aeſtatis tempore frequentiores, quam hyeme conſpiciuntur plicae, quoniam ſolis aeſtu morboſa illa materies ad cutem magis propellitur et determinatur atque ex ea in pilis depoſita exſudatur, hyeme autem aëris frigore a corporis ſuperficie ad interiores partes potius conuertitur. Eademque ex cauſa pilei villoſi, omniaque capitis velamina ex animalium pellibus conſuta, quibus Poloni vtuntur, magnopere plicae patrocinantur eruptioni.

Sed non e pilorum poris ſolis, ſed aliarum etiam euacuationum criticarum ope, vrinae ſcilicet et ſudoris materies iſta morboſa euacuari videtur, e quibus illam, inter plicae eruptionem, haud raro fuſcam, turbidam, arthriticae ſimillimam, hunc autem viſcidum, foetidumque conſpicimus.

Mulieres in vniuerſum quidem rarius hoc morbo laborant, caeterum tamen ſaepius ea, quam mitralem vocamus, plica; viri contra reſtiformi plerumque grauantur.

Quod ſi vero mors ipſa criticum illud materiae viſcidae profluuium praeuertit, et aegrum, criſi nondum facta, ſub pallore faciei, pulſu intermittente, ſub palpitatione cordis, ore ſpumante dentibusque ſtridentibus, vel ſub encephalitide vehementi, deliriis, inſania et furore, vel ſub ſopore denique miſerrime necauit; iſta poſt mortem ipſam adeo effluxiſſe adhuc dicitur.

Caeterum ipſi materiae effluuio, niſi impeditur et perturbatur criſis, periculoſi nihil plerumque inhaeret; ſed ſub leuioribus vt plurimum ſymptomatibus, plicae formatione criſis abſoluitur, qua facta, illa vel intacta in capite remanet, vel ſponte decidit, vel arte denique absque vllo periculo abſcinditur, ita vt poſtquam dolores omnes et pernicioſa quaeuis ſymptomata, ſenſim ſenſimque diminuta, iamiam prorſus euanuerint, nil mali remouendum ſuperſit.

Quodſi

Quodſi autem ſiue tonſione praematura, ſiue capitis refrigeratione, adſtringentium vſu externo, ſiue denique ob capillorum inopiam aliasque id genus cauſas, plicae eruptio et criticum illius materiae profluuium vel perturbatur tantum, vel prorſus retinetur et ſupprimitur; tum ſiue, morbo ipſo ad interiora verſo, grauiſſima, periculoſiſſima mortemque ipſam minantia naſcuntur mala, quorum in numero omnia iſta ſupra memorata, encephalitidem, apoplexiam inprimis, pneumoniam porro, cariem, ſphacelum multaque alia animaduertimus, quae breuiſſimo vt plurimum tempore mortem adducunt ipſam; ſiue, etſi vna iam ſe manifeſtarit et formauerit plica, dum dolores et incommoda quaeuis aeque ac antea aegrum torquere pergunt adeoque exacerbantur, ſecunda adhuc vel plures adeo apparent et inter capillos effluunt; ſiue horum ob inopiam, vel ob aliud aliquod impedimentum, quod ſecundae eruptionem in capillis prohibeat, in barbam, pubem, aliasue partes piloſas migrat criſis, ibique plicas format; ſiue denique, ſi ab his etiam arcetur, materies in vngues tranſit ibique deponitur, ita vt mirifice intorti et indurati et in liuidum mutati colorem, ſqualoreque obtecti, vngues etiam alienam prorſus patiantur formam. Eſt itaque in ſananda plica polonica lex magni momenti, vt eiusmodi euacuationes criticae quam maxime adiuuentur nulloque perturbentur modo; plica autem non niſi abſolutis omnibus criſibus nouisque et integris pilis iamiam prolatis reſecetur, ne tale quid funeſti ſequatur. Caeterum in vnguium illorum reſectione, eaedem, quas in plicae tonſione cautelas partim iam monuimus, partim adiiciemus adhuc, reſpiciantur oportet. Ipſa vero tonſio plicae, ſanis iamiam et integris inhaerentis pilis, abſolutis omnibus criſibus, ſine vllo periculo, vt prius iam diximus, non tamen ſemper ſine omni dolore *t*) perfici poteſt, et aegrum vsque ad nouae ſaltem plicae eruptionem, quae haud raro pluries per vitae ſit decurſum, omnibus liberat incommodis. Fac vero tonſionem artificialem non fieri, intra ſex menſes vel duos intra annos e primo plicae prouentu praeterlapſos, profluvio ipſo prorſus abſoluto, plica, haud prius reſecta, ſua ſponte haud

t) Quod ſcriptorum nonnulli ſaltem nobis nuntiauerunt.

haud raro a cute integrisque pilis separata decidit et absque aliena ope natura ipsa remouetur; in aliis autem causis, quae hunc morbum proferant, haud remotis, plica arte non resecta per magnam annorum seriem, ad decrepitam vsque aetatem, et mortem adeo ipsam in dies magis magisque increscit, et cum cadauere ipso sepelitur.

Quodsi in morbis et prodromis istis signis, quae plicam praecedere solent, laruatam aliquam plicam causam esse videmus, criticum autem illud profluuium impedimentis quibusdam retineri conspicimus; omnia ista exitialia et perniciosa symptomata nec non grauissimos quosuis morbos e plica laruata prolatos, alias vix vnquam sanabiles *u*), sola critici illius profluuii quam celerrima productione haud raro vel natura remouet, vel nos ipsi sanare possumus.

Crines denique, quod adhuc adiicere liceat, plicae eruptione miram patiuntur mutationem chemicam, talem scilicet, vt, quod in sanis nunquam obseruamus, coquendo in aqua prorsus soluantur.

Quaecunque vsque nunc de plica polonica dicta protulimus, experientia multorum probata et confirmata, iamiam extra omnia dubitationis limina posita, nec non ab omnibus fere accepta sunt. De plicae autem causis, de quibus differere superest nobis, de eius origine et natura omnium semper ex antiquissimis temporibus fuit dissensus, vixque animo percipiendum est, quam acerrime, quamue diuerse omni aeuo hac de re sit disputatum. In tanto omnium dissensu nunquam satis manifeste apparuit, quaenam opinio caeteris omnibus sit praeferenda, solaque vera, qualis denique vera plicae natura. Quibus nimirum de controuersiis, quaenam opinio reliquis omnibus virtute praestet, paululum philosophari et pro virili nostra parte diiudicare liceat. Prae omnibus autem duas praecipue opiniones diuersas, virorum scilicet celeberrimorum, qui maxime in plicae descriptione excelluerunt, eorumque dissensus, caeterorum fere omnium loco prolixius paululum

u) Phthisin exulceratam plica sanatam, v. i. HALLERI disputat. med. pract. T. I. p. 265., amaurosin porro multaque alia mala.

lulum perluſtrare ſufficiat *v*). Horum alter contendit, et rationibus non exiguis ſuſtinere nauat:

"Plicam polonicam morbum eſſe non Poloniae ſolum vicina„rumque regionum endemicum, ſed in remotioribus etiam terris „nonnunquam, etiamſi non crebro, apparuiſſe, nec raro innatam „et hereditariam *w*); morbum eſſe qui nulli aetati, nec ordini „nec ſexui parcat, ſed vtrumque pariter, nec difficilius altero affi„ciat, ſenes tamen canos vel rarius vel omnino nunquam adeat; „contagioſum eſſe morbum, nec alienigenas, etiam ſi nondum diu „in Polonia verſati ſint et habitauerint, ab eo liberos incedere et „excipiendos eſſe; primam quidem eius originem ab eo tempore, „quo Tartari Poloniam irruerint, annis ſcilicet 1241 — 1287 p. „Chriſt. natum, deriuandam eſſe, vulgoque deduci; praecipuas „vero eius cauſas quaerendas eſſe partim in foetidis exhalationibus „Viſtulae aliorumque fluminum et paludum, quibus Polonia ſcateat „et abundet, partim in ſordida incolarum viuendi ratione *x*) par„tim denique in tempeſtate et aëre ſemper triſti, nebuloſo et fri„gido *y*); plicam quandoque ſubito apparere, nullis praegreſſis „prodromis et incommodis, nec raro animalia adire ipſa; naturam „denique contagioſae iſtius materiae, etſi nobis vsque nunc adhuc „ignotam, indoli tamen vel ſcorbutici vel venerei contagii ſimilli„mam eſſe videri."

Alter contra: "Plicam polonicam morbum eſſe Poloniae ſolius „vicinarumque regionum endemicum; in aliis autem terris eam „tantum, quam ſpuriae nomine ſignificamus, apparuiſſe interdum, „veram autem non niſi contagio ipſo in corporibus iam latente et ex „Polonia in alias delato terras, ibi in conſpectum veniſſe, ideo„que olim, cum Polonorum magna turba Tartaris victoribus e pa„tria expellerentur, facile quidem fieri potuiſſe (quod ſcriptorum „etiam

v) LAFONTAINE *chirurg. medicin. Abhandlungen* 1792. SCHLEGEL *über die Urſachen des Weichſelzopfs*. Jena 1806.

w) Quod quidem plebs etiam, nec non ſcriptorum nonnulli alii opinantur, v. HALLER. loco cit.

x) Quodſi vero res ita ſe haberet, nobiliores tamen et mundiores a plica liberos eſſe oporteret.

y) Quo perſpiratio nimirum cutanea ſupprimitur.

„etiam ſinguli referunt) vt in aliis etiam terris, quocunque ſe ver-„terint Poloni, plica vera polonica ſe manifeſtarit; *proximam vero* „*morbi cauſam in ſingulari iſta capillorum in Polonis tonſione, ab alia-* „*rum nationum tonſione prorſus abhorrente* z), *ſolisque Polonis propria* „— hinc inde in penitus ſuppreſſa transſpiratione capitis cutanea, „eiusque crebris refrigeriis ponendam eſſe — plicam ipſam hinc „inde arthriticae indolis; iſtas autem putatitias plicae cauſas non „niſi acceſſorias eſſe, quae talem pilorum mutationem et plicae „eruptionem iuuent; nec iure plicam contagioſam eſſe nominan-„dam, contactu enim et morboſae applicatione materiae in ſanos „pilos nullam niſi ſpuriam proferri plicam; nunquam hereditariam, „neque innatam, ſed a ſexto tantum aetatis anno, quo prima iſta „ſingularis liberorum tonſio fiat, generari, ſpuriamque fuiſſe, ſi „qua prius apparuerit plica; ordinem vero nobiliorem, et Polo-„norum proceres, quibus noſtris ſaltem temporibus non ad plebis „Poloniae modum, ſed ad Gallorum aliarumque nationum morem „crines tondeantur, rarius vera, ſaepius tamen ſpuria e contactu „veneni infici; alienigenas nunquam, niſi forſan eadem tonſione „caput foedarint ſuum, laborare plica *a*), niſi ſpuria forte pro vera „haberetur; animalia caeterum nonnulla, inprimis equos *b*) non „quidem raro vera, ſaepius tamen ſpuria ornata incedere; canes „autem nonniſi tonſos hoc morbo grauari; caeterum nunquam „ſubito, nullis praegreſſis prodromis neque moleſtiis manifeſtari „et erumpere plicam;" quod quidem, ſi plicam criticam ali-quam

z) Poloniae ſcilicet mos, capillos ad radicem vsque, nullis niſi paucis in vertice intactis, integrisque relictis tonderi iubet.

a) Confer. Erndtelii Warſavia phyſice illuſtrata Dresdae 1730. p. 157. — Neque Francogallorum vllum, cum in Polonia bellarent plica affectum audiui neque legi.

b) Ob peiorem nimirum quae ibi habeatur eorum curam, ob crebras eorum aeſtuationes, ob crinium denique implicationes, quibus in ſylvis afficiantur equi, aliasque id genus cauſas. Hoc quidem non ita veriſimile eſſe videtur, licet Ruſſiae etiam equos non niſi in iis regionibus, vbi eadem ſit equorum cura, plica grauari, ſcriptor idem contendit.

quam formare euacuationem fupponas, neçeffarium effe, facile intellectu eft; "plicam denique nequaquam ab illis (in quibus fcriptorum prior plicae originem ponit) annis deriuandam effe, cum multo „maturius iamiam prima eius veftigia manifeftata et obferuata fint; „fed a Poloniae quodam rege (Cafimiro I.) tonfionem iftam quondam „in Poloniam introductam effe, anno fcilicet 1041 p. Chr. n., eodem„que tempore, vel haud diu poft prima iam fe oftendiffe plicae vefti„gia." — Quae quidem omnia ille fumma cum eloquentia, multiplici experientia, nec non experimentis, tam in hominibus *c*), quam in animalibus egregie inftitutis doctus, grauiffimis optimisque fuftinet et arguit rationibus, quas tamen cunctas hic adiiçere, fuperfluum fore cenfui. —

Sunt vero, praeter dictas, aliae etiam opiniones de caufis, origine, et natura plicae, quarum aliae quidem primo intuitu probabiles effe videntur, prolixiore autem indagine facile refutantur; maxima contra pars vix refutatione aliqua et ampliori mentione digna effe videtur. Scriptorum alii fcilicet, vt illarum nonnullas adhuc diligentius perluftremus, plicae caufam in proprio et fpecifico ponunt contagio (falino-fulphureo, vt opinantur) in alios attactu transgrediente, cuius vero origo et natura, ficut omnium fere morborum contagioforum, nobis ignota fit *d*).

At experientia docti fumus, haud raro euenire, vt absque vllo etiam contagii attactu plica nihilominus nonnunquam manifeftetur, ideoque haec etiam opinio inter falfas numeretur oportet. — *Alii* contra luem veneream laruatam praecipuam atque proximam morbi caufam effe, plicam ipfam autem criticam aliquam depofitionem contagii venerei in pilis, afferuere *e*), falfi fcilicet foedis illis vlceribus, quae venereis fimilia palatum et molle et durum in plica nonnunquam erodunt, falfi praeterea exemplis iftis fatis cognitis, luem veneream alterne nonnunquam cum plica aegros affligere,

c) Rufficum puerum ad Polonorum morem tonfum mox omnia plicae figna prodroma afficiebant, ita vt ob morbi pericula experimentum interrumpi oporteret.

d) V. Halleri difputat. med. pract. T. I. p. 257.

e) V. Wollfram, *Verfuch über die höchft wahrfcheinliche Urfache und Entftehung der Plica polonica*, Breslau 1804. p. 120-124.

affligere, plicam porro libenter eos, qui lue venerea ſint affecti, adire, et mercurium denique magnos interdum in ſananda plica praeſtitiſſe fructus. Verum enim vero haec opinio ex ſequentibus facile refellitur; vlcera enim iſta in ſcorbuto etiam, in anteriori ſaltem oris cauo, etiamſi ab omni veneno venereo deſtituto obſeruantur, neque ideo in ſola lue venerea obueniunt, neque ita ſaepe plicam etſi vehementiſſimam comitantur, vix autem vnquam in lue venerea etiamſi non valde inueterata deſunt. Lues deinde venerea nunquam ſine mercurii vſu vel naturae ipſius vi radicitus ſanatur, in Plicae contra cura, quippe quae haud raro natura ipſa remoueatur, mercurius non modo non ſemper neceſſarius, quin ſaepenumero etiam non ſine magno ſanitatis detrimento morbique exacerbatione porrigitur. Quod ad amborum alternationem morborum, hanc etiam, luem veneream plicae cauſam eſſe nequaquam ſupponentes, facile explicari poſſe opinamur e ſtimulo et irritamento vtriusque morbi proprio, quo ſub alterius morbi ſaeuitia et impetu, alter ad certum temporis interuallum ſuſpenſus et prorſus debilitatus eſſe videtur, illius autem morboſo irritamento ſublato, hic rurſus in priſtinos limites reuertitur, et ſuam vim vt antea exercet. Accedit quod luem ipſam veneream aliorum interventu morborum, profluuiorum inprimis morboſorum, purulentorum (in fiſtula ani v. c.), ſeroſorum (vt in hydrope), aliorumque ſtimulo et irritamento, vix non omnino ſublatam, vel ita ſaltem debilitatam, vt nihil eius in corpore ſupereſſe videatur, remotis autem illorum ſtimulis, rurſus reducem haud raro obſeruamus. Quodſi porro luem veneream laruatam plicae cauſam eſſe ſupponis, equos etiam aliaque animalia, non ita raro plica grauata, lue affecta eſſe oporteret, quod tamen rerum natura refellitur. Quam vero, qui illud contendis, cauſam nobis proferes, cur in Polonia ſola ſyphilis hanc prae ſe ferat imaginem, talemque aſſumat indolem, formam et criſin, quidni in aliis etiam terris Poloniae ſitu, tempeſtate, ſolo, et incolarum moribus ſimillimis? Vtriusque denique morbi origo, cum plicam iam 200 annos ante primam luis venereae eruptionem corpora grauaſſe ſciamus, huic opinioni prorſus repugnat; et hinc inde ne inter putatitias quidem vel veriſimi-

les tantum plicae causas, luem hanc laruatam numerari posse, satis superque elucebit.

Alii in aquis Poloniae salsis, peruersis, alii in crebra, quam Poloni edant, carne equina plicae posuere causam, eiusque hinc inde originem, non quidem satis intelligenda ratione deducere studuere. Scriptorum alius denique primam morbi causam aliqua ex parte saltem in densis nubibus ex fumo, quo Poloniae aër prae aliis terris ob magna et crebra praecipue incendia semper impletus et impraegnatus sit, sitam deriuat *f*). Pilei autem villosi, et velamina capitis quaeuis e brutorum pellibus consuta, a nonnullis pro plicae proxima habita causa, non nisi eius eruptioni fauere valent.

Iam vero iure quaeritur, quaenam opinio caeteris omnibus virtute praestet, quaeue, maxime cum veritate et experientia conveniens, luculentissime exponat, vnde varia plicae phaenomena sint deducenda, qualis eius natura; et mihi quidem, quamuis non propria experientia docto, omnibus pro virili mea parte perpensis, ea opinio, quae proximam plicae causam in singulari ista capillorum tonsione ab omnium fere aliarum moribus nationum abhorrente ponit, perquam probabilis, caeterisque omnibus multo praeferenda videtur. Exhalationibus enim Vistulae aliorumque Poloniae fluminum et paludum, sordidae viuendi rationi et squalori, et quotquot aliarum causarum putatitiarum a nobis memoratae sint, quamuis, sicut accessoriae causae, morbi eruptioni aliquantulum favere possint, non tamen tanta vis tribuenda videtur, vt talem proferre valeant pilorum mutationem, quae in aliis terris, Poloniae situ, tempestate et natura, nec non incolarum more et viuendi ratione similibus, nequaquam proueniat. Grauior sit causa, Polonis sola propria, magnique ponderis, necesse est, talem quae proferat morbum. Quantae autem, quamque funestae tonsionis intempestiuae sequelae in aliis etiam terris esse possint, alias iamiam videbimus; et hinc inde in plica rem ita sese habere opinor, vt tonsione ista, exque ea nata crebra capitis refrigeratione, et perturbata sublataque pilorum functione, accessoriis illis causis vim tonsionis insuper iuvantibus, arthriticae indolis quaedam proferantur materies et mala, quae

f) V. Mémoires sur la plique polonnaise par Vicat, Lausanne 1775.

quae crisin suam, postquam diu vehementerque vexauerint corpora, viscidam scilicet et glutinosam materiem in reliqua capillorum parte non tonsa deponant, idque eo facilius, cum Polonorum capita pileis istis villosis semper foueantur, ideoque facilius ad eiusmodi crises disponantur. Ipsa autem critica ista materies meo ex iudicio nulla est, nisi quae per pilorum non tonsorum canales cutemque sub capillis latentem excreta quotidie exsudari potuisset, nunc autem resectione pilorum in corpore retenta et accumulata, priusquam grauiori sub impetu, nec non febris auxilio per plicam eliminetur, innumerabilia illa incommoda et mala excitet; rheumatismo hinc inde et arthritidi simillimam esse credo plicam; etenim sicut illi (rheumatismus et arthritis) vtplurimum e suppressione functionis cutaneae diuturna, ita haec e sublata capillorum et cutis subiacentis functione potissimum prodire videtur; magnum autem pilos inter et cutem esse consensum, illosque huic tam structura quam functione magnopere similes esse, supra iam vidimus, similem itaque morbum ex vtriusque organi functione suppressa prodire, facile intelligimus *g*).

Hanc denique plicae naturam criticam et quasi arthriticam, eius symptomata, tam forma et natura, quam frequentia, varietate, et malignitate arthriticis simillima, inter alia v. c. vrina fusca et inter eruptionem plicae sedimento spissiori, arthritico praedita, vnguium deinde nigredo, vt quae nec raro post balneorum sulphureorum vsum in arthriticorum digitis conspicua, tum sudor viscidus foetidus vtriusque crisi morbi proprius, porro nimia ossium fragilitas *h*), in duobus his tantummodo morbis obueniens, multaque alia phaenomena, ambobus morbis propria, et obseruatio denique ista, "in vehementiori cephalalgia arthritica et periodica pilorum apices semper se incuruasse, et durante paroxysmo arctissime se implicuisse," quam nuper factam *i*) legimus, satis superque arguunt.

Quae

g) Monachi, quamuis Polonorum fere adinstar tonsi, non tamen plica gravantur polonica, quia non tam mature forsitan tondeantur, nec istae accessoriae plicae adsint causae.

h) V. Haller l. c. p. 261.

i) V. Hufeland, *Journal der practischen Heilkunde* B. 4. p. 151.

Quae cum omnia ita ſint, hic etiam morbus pilorum inter tonſionis ſequelas et pericula forſan iure aliquo numerari poſſe videtur.

Reliquum eſt, vt nonnulla etiam,

2) *de ſpuria Plica;*

adiiciamus. Eſt autem plica ſpuria pilorum morbus (vix ita appellandus) in aliis etiam terris praeter Poloniam ſaepius obſeruatus, nullis praenuntiatus prodromis, tamque dolorum quam ſequelarum et ſymptomatum funeſtorum expers, qui bruta etiam afficit, neque rarius in quauis alia parte piloſa (barba v. c.), quam in capillis manifeſtatur, cuius quidem originem *tum* e negleсta pilorum cultura, vbi glutinoſis liquoribus, cereuiſia, aliisque crines ſorde ſqualoreque conglutinentur, *cum k)* e verae plicae contagio, eiusque contaсtu impuro cum pilis aliorum deducendam opinamur. Dignoſcitur autem ſpuria a vera, ex cauſis (contaсtu v. c.) praegreſſis, ex abſentia in ſpuria tam dolorum quam prodromorum omnium, ſequelarum et ſymptomatum funeſtorum, ex abſentia periculi reſeсtionis *l*), ex minori porro viſcidae ſordidaeque materiae accumulatione, et e conglutinatione denique et affeсtione apicum pilorum, ſine vlla radicum ſanarum nec ſorde inquinatarum affeсtione. — A vera denique plica iamiam ſanata, radicibus ſanis integrisque priſtinarum ſordidarum loco ſubſtitutis, criſibusque omnibus prorſus abſolutis, ſpuria ita diſtinguitur, vt illius quidem eruptionem prodroma ſigna et ſymptomata iſta funeſta vel praeceſſerint, vel comitata ſint, haec vero, cum tale quid omnino non accidiſſet, ſenſim prouenerit.

IV.
DE TRICHIASI.

Plica polonica quoad texturam crinium a ſanorum pilorum abhorret natura; eſt autem morboſa etiam pilorum circa direсtionem

k) Ex opinione Schlegelii.

l) Spuria enim absque vllo periculo quam primum et quouis tempore refecari poteſt.

nem mutatio, quam fcilicet in palpebrarum animaduertimus ciliis, cuique trichiafis nomen tribuimus. Duplicem vero trichiafis prae fe fert imaginem et formam, quarum in altera cilia cum inuerfione tarfi ipfius, in altera autem absque ea priftinam et folitam directionem relinquunt, morbofam contra fortiuntur, et verfus oculum internum inclinata flectuntur, itaque irritamento fuo interdum magnam ac vehementem excitant ophthalmiam, cum omnibus eius fequelis damniferis, maculis v. c. corneae, hypopio, et quotquot earum fint, iunctam. Trichiafis ipfa vero vel partialis tantum, ita vt vnum alterumue, vel pauca tantum inuerfa fint cilia vel omnibus inclinatis totalis obferuatur. Diftrichiafis autem fub nomine nonnulli ciliorum affectionem amplectuntur, ita a trichiafi diuerfam, vt in illa duplex (vel etiam triplex etc) ciliorum inuerforum feries in palpebris exhibeatur, in trichiafi contra fimplex tantummodo appareat; quae tamen duplex ciliorum inuerforum feries non ita, vt vulgo credunt, in rerum natura confpicitur; fed fingularis modo trichiafis forma eft, quae talem praebeat afpectum, dum nonnulla quidem ciliorum verfus oculum internum inuerfa, vicina vero caeteraque, omnia partim minus fint inclinata, partim priftinum obtineant locum, omnia itaque radicibus in naturalibus fuis locis inferta, directione tantum anomala inter fe difcrepent, vnde duplex vel triplex adeo eorum feries adeffe videatur *m*).

Eft igitur res magni momenti, maximeque fuadendum, vt in omnibus ophthalmiis chronicis, et quidem fcrophulofis praecipue, et variolofis, diligenter et accurate oculi bulbum palpebrasque explores et infpicias, num tale quid fit, quod oculum irritet; nec enim raro factum eft, vt ophthalmia aliqua quibuscunque remediis pertinaciter refifteret, neque fanari poffet, et fi forte diligentius oculus internus infpiceretur, trichiafis partialis aliqua, vel vnum alterumue cilium inuerfum appareret, quod illam irritamento fuo fuftentaret; quo vero remoto morbus facillime fanaretur. — Saepiffime vero in blepharophthalmiis fcrophulofis variolofisque, et prae

m) V. Scarpa obfervaz. fulle Malattie degli Occhi. Pavia 1801. p. 51.

prae omnibus in Israelitis polonis ob fordidam viuendi rationem *n*) trichiafin obferuamus, inque his proxima anomalae ciliorum directionis caufa in nimia glandularum muciparарum (*Meibom.*) intumefcentia et relaxatione fita effe videtur, quippe quibus vel ciliorum germen, verfus internam palpebrarum fuperficiem eiusque laxiorem tunicam preffum, ibi increfcere cogatur, vel foramina in palpebrarum margine, e quibus exeant pili, occludantur, quamobrem illi alium fibi quaerant exitum, inque radice ipfa iam haud raro incuruatam et diuerfam accipientes directionem, internam et laxiorem palpebrae tunicam perforent, itaque alii aliis in locis prorumpant neceffe fit.

Trichiafis perfaepe quoque in entropio, quo pili cum tarfo ipfo inuertuntur, oculis noftris fefe offert; vnde fit vt in fumma fenectute, vbi tarfus ex ficcitate incuruetur, trichiafin faepenumero obferuemus. Exulceratione autem palpebrarum, vtpote quae in blepharophthalmiis praecipue occurrit, ciliis ipfis defluentibus, loca, quibus antea illa infita inhaerebant, faepe indurantur et occalefcunt, vnde noua et denuo reftituta cilia in priftinis locis prouenire impedita, alium exitum fibi quaerere coguntur, et partialis hinc inde vel totalis progreditur trichiafis. — Tumoribus denique cyfticis aliisque, in palpebris et trichiafin et entropium nonnunquam obferuamus adductum. Caeteroquin mirum nexum, ficut in aliis oculorum morbis, ita in trichiafi etiam ambo inter lumina intercedere confpicimus, ita vt, fac etiam alterum tantum trichiafi laboret, alterum tamen non minus affectum et inflammatum obferuemus, quod ex amborum confenfu neruorumque opticorum nexu facile explicare licebit.

V.

DE NIMIA CAPILLORVM ARIDITATE.

Nimia capillorum ariditas, tam faepe in fenibus praecipue, nec non in iuuenibus interdum obferuata, e morbofa aliqua caufa progreffa, cumque magna femper crinium functionis perturbatione iuncta,

n) V. Schlegel *in* Arnemanns *Magazin* T. 2. p. 259.

iuncta, iure inter morbosas affectiones capillitii numeratur; statu enim sano capilli semper materie aliqua pingui, oleosa, ex eorum poris exsudata, inunguntur, et a tempestatis hinc inde rigore et impetu defenduntur. Quo pinguiores crines, eo melius crescunt, quo ficciores, eo facilius rigescunt, in duos finduntur apices, flaccescunt, canescunt, et postremo defluunt. Est itaque necessaria semper ad sustentandos pilos pinguedo aliqua et mollities, ex ipsa functione eorum prolata, et exinde magna etiam adipis et oleorum vtilitas in conseruatione pilorum prodire videtur. — Ista autem crinium siccitas vel ab externis causis, lotione v. c. frigida, et quotquot earum crinium functionem supprimere valeant, vel saepius ab internis originem agnoscit suam. In tanta enim omnium excretionum in senectute perturbatione, ea etiam, quae pilis subest functio excretoria, vel omnino tollitur, vel tamen maxima ex parte diminuitur ob debiliorem sanguinis circulationem, humorum inopiam et debilitatam nutritionem; siccescit insuper et induratur cum totius corporis epidermide ea etiam, quae pilos obducit, omnemque humectationem crinium et excretionem praepedit, ideoque facile, vnde veniat ariditas, intelligitur. An vero et arthritica aliqua dispositio, qua perspiratio in tota corporis superficie vt plurimum plus minusue perturbatur, cum maiori cutis ariditate, pilorum etiam siccitatem proferat, nondum, etsi verisimillimum mihi videatur, diiudicare audeo. Caeteroquin nigri rigidique pili facilius prae albidioribus, mollioribus, ob rationes ex antea dictis facile perspiciendas, huic pilorum mutationi subiecti sunt.

VI.
DE PILORVM FISSVRIS.

Mirum sane phaenomenon in pilorum fissuris oculis nostris se praebet. In magna scilicet pilorum ariditate, perturbata eorum functione excretoria, crinium apices in duos finduntur fines vel ramulos diuaricatos, cuius quidem phaenomeni causam in ipsa illorum siccitate vulgo sitam credunt. Caeterum prorsus analogum

 phaeno-

phaenomenon in epidermidis etiam fiſſuris, e nimia ſiccitate, aridi_ tate, et rigiditate prolatis, nonnunquam conſpicimus. Sola autem pilorum ariditas illius pilorum mutationis explicationi haud prorſus ſemper ſatisfacere, ſed alia quaedam cauſa remotior ſaltem interdum adeſſe videtur, quae tam ariditati, quam fiſſioni crinium faueat; ideoque iſtam, vel in arthritica aliqua diſpoſitione, vel in crebra cephalalgia, vel forſan in crebro denique lautorum crinium refrigerio nonnunquam latere ſuſpicamur. Celeberrimorum ſcriptorum vnus in hectica etiam febri pilorum apices nonnunquam findi obſeruauit *o*).

Vtut ſit, id ſaltem experientia conſtat, fiſſos capillos nec amplius creſcere, nec raro vel canitiem, vel defluuium illorum praecedere, et vtrumque praeſagire, nec non ab vtriusque morbi cauſis quandoque proferri poſſe.

VII.
DE PILORVM DEFLVVIO.

Pilorum defluuium, ex quo, partibus, quae antea crinibus ornabantur, nunc nudatis et tegmine ſpoliatis, tam ſanitati ob ſuppreſſam illorum functionem et denudatam capitis ſuperficiem, vel ob palpebrarum marginem ciliis orbatum, quam pulchritudini ob foedum aſpectum, pro diuerſa parte, quam pili veſtiuerant, varia naſcuntur incommoda, — quodque iure ex illuſtris viri ſententia *p*) gangraenam crinium appellare poſſumus; ob meliorem perſpicuitatem in vniuerſale (madaroſin, caluitiem vniuerſalem) et partiale, hoc autem pro diuerſa parte in lapſum pilorum barbae, palpebrarum et caluariae (quorum poſtremus pro diuerſa aetate diuerſe vel caluities ſenilis, vel alopecia et ophiaſis nominatur) diuidendum cenſemus. Iam vero ſigillatim quoduis crinium defluuium prolixius aliquantulum perſpiciamus.

1) Defluuium pilorum vniuerſale (citius plerumque accedens), quale nonnunquam accidiſſe et obſeruatum eſſe conſtat, tum nul-

lis

o) V. Reil, *Fieberlehre* T. II. p. 563.

p) V. Himly l. c. p. 127.

lis manifeſtis praegreſſis cauſis q), tum ſingulis quibusdam adductum, tam in mulieribus, quam in viris euenit. Cauſae vero quae talem pilorum affectionem interdum efficere valuerint, tres praecipue obſeruatae ſunt.

Febrium nimirum primo grauium et acutarum ſaeuitia nonnunquam totius corporis ſanitas, etſi iam conualeſcentiae ſtadium ingruat, ita affecta eſſe videtur, vt pilis humores, quibus nutriantur, neceſſarii, ad certum temporis ſpatium recuſentur, et hinc inde omnium efficiatur defluuium, quem tamen crinium defectum, reſtitutis viribus, natura recentibus pilis, nec raro mutato eorum colore, plerumque emendat. Terrores deinde horrendi, percutientes, qui totum obſtupefaciunt ſenſorium, quorumque vehementia alias etiam canitiem ſubitaneam ortam eſſe memorauimus, parem interdum vim exercent. In elephantiaſi denique vir illuſtris quondam vniuerſale pilorum defluuium conſpexit r); neque dubito, quin e lue venerea vniuerſali, inueterata aliisque eiusmodi morbis eadem pilorum affectio poſſit proferri. In ſcarlatinae praeterea ſtadio deſquamationis vna cum cute et pilos interdum delabi, rara ſunt, quae teſtentur, exempla. Vbi autem nulla manifeſta defluuii totalis cauſa apparuit, talem tamen iure ſupponere poſſumus, quae ſyſtema productiuum, ideoque nutritionem pilorum vel maxima ex parte perturbauerit et debilitauerit, vel funditus diruerit.

Innatam denique caluitiem vniuerſalem tam nationibus quibusdam totis s), quam ſingulis noſtrorum indiuiduis propriam obſeruatam eſſe, hodieque obſeruari, nonnulli contendunt.

2) De defluuio barbae vero, ſine pilorum in caeteris partibus lapſu, quod in iis quandoque obſeruamus, qui caſtratione teſtibus et functione ſexuali ſunt priuati, ea, quae de conſenſu barbam inter et genitalia diximus, in memoriam reuocentur. Nil enim niſi cauſarum, quae in iuuenibus maius illud barbae incre-

 mentum

q) V. Tranſactions of the medical and chirurgical ſociety, Tom. II. p. 204. — Ephemerid. nat. cur. cent. I. obſ. 197.
r) V. Lentini Memorabilia circa aërem etc. Clausthalienſium p. 112.
s) V. Blumenb. inſtitution. phyſiol. p. 151. — Schenk Vol. I. obſ. 8. p. 15. 16.

mentum adducant, remotio et absentia, eiusdem defluuium proferre videntur. Sunt autem hac de re densissimae tenebrae neque hodie illustratae, cum e rerum analogia, sublata humoris nutrientissimi excretione, valetudinem corporis humani magnopere roborari diceremus, nisi experientia contra et res ipsa de illorum testarentur debilitate. Barbae defluuium ex erosione herpetis maligni, qui mentum exedat, nonnunquam originem ducere, vix admonendum erat. Caeterum sunt etiam, qui natura effoeminati, et eunuchis vel et mulieribus similes, vel nunquam barba ornentur virili, vel lanugine tantum in mento vestiantur.

3) Madarosin vel lapsum ciliorum in blepharophthalmiis et psorophthalmiis diuturnis *t*) haud raro e morbillosa, variolosa, vel e scrophulosa et herpetica, vel denique e siphilitica origine *u*), nec non in summa senectute saepenumero conspicimus, et tam ex erosione radicum ciliorum, ex acri, puriformi materie effluente (oculorum lippitudine) quam e diminuta et peruersa harum partium nutritione, magnaque relaxatione deducendum existimamus. Talem autem ciliorum defectum (nonnunquam quidem nouis, non tamen iusta semper directione increscentibus, pilis natura emendatum) magnopere visus obstare functioni, eamque perquam impedire, quia lux ipsa et aliena quaeuis irritamenta, quae antea ciliis arcebantur, palpebris haud rite conclusis, bulbum continuo et infeste afficiant, facile apparet. — Superciliorum defluuium, raro quidem *v*) obueniens, nonnunquam tamen ex herpetis vel et crustae lacteae materie puriformi adductum, visus organis, luce liberius ob illorum absentiam oculos afficiente, detrimentum aliquod infert.

4) *Caluities* denique *senilis et Alopecia iuuenum* eadem fere ratione, qua canities senilis et iuuenilis inter se discrepant. Caluitiei enim nomen illi capillorum defluuio, quod grauiori aetate eiusque sequelis adductum, senectutis dignitatem et auctoritatem auget et decorat, tribuere solemus; alopeciam contra vocamus illud, quod e dissoluta viuendi ratione, vel aliis quibusdam causis natum,

t) In crusta lactea praecipue vid. SCARPA l. c. p. 101.
u) V. SCARPA l. c. p. 100.
v) Ob magnam forsan adipis subiacentis copiam.

natum, iuuenilem venuſtatem foedum in modum deformat. Vix enim Alopecia foedius aliquid in iuuenili capite conſpici poteſt. Iam vero de vtroque capillorum defluuio ſpeciatim nonnulla deinceps adiicere liceat.

A. *De Caluitie ſenili in ſpecie.*

Caluities ſenilis, ſenectutis quaſi praerogatiua, e vertice plerumque incipiens, nec non in reliquam capitis ſuperficiem ſeſe expandens, totam quidem caluariam ſenſim ſenſimque capillis denudat, neutiquam tamen vnumquemque manet ſenem, ſed ex quibusdam ſenectutis ſequelis, velut e fonte ſuo, emanans, aliorum capita accedit, aliorumque ad ſummam et decrepitam vsque aetatem, vel ad mortem adeo ipſam nunquam afficit. Ob maiorem autem pinguedinis prae reliqua caluaria in vertice penuriam, cuius nempe cutis adipe nulla, vel parca ſaltem ab oſſibus ſubiacentibus ſeparata, cranio ipſi affixa eſt, cum adipem ad pilorum incrementum prorſus fere neceſſariam iudicauerimus; caluities a ſyncipite exire videtur *w*).

In ſenectute vero, in tanta omnium partium ariditate et tam imminuta nutritionis functione, cum in reliquo toto corpore adeps reſorbeatur et conſumatur, caluariae etiam ſuperficies pari paſſu pinguedine deſtituitur. Qua vero conſumta, omnis ſimul capitis perſpiratio cutanea *x*), vel perturbata tantum et diminuta, vel omnino ſublata conſpicitur, ita vt, — praeſertim cum ſenibus etiam vis illa ſanguinem ad extremas vsque corporis partes inque cutem tam rigeſcentem pilorumque bulbos propellendi, maior porro ille calor animalis et nutriendi facultas, iamiam deeſſe videantur, — capilli ipſi nunc aridi et ſiccitate labefactati, nunc in canum mutati colorem, nunc in extremis denique fiſſi partibus, plerumque cum radice ipſa, nulla, vt reſtituantur vnquam, ſpe relicta, defluant.

Eſt

w) V. Heurnii opera. cap. 2. p. 317.

x) Vaſis cutaneis, eorumque orificiis et poſtremis ramificationibus praecluſis, corioque cum epidermide vel in mollem et glabram, vel in induratam et tumentem ſuperficiem mutato, nulloque priſtinorum capillorum veſtigio relicto, nec non foſſis denique, quibus inſerti et infixi capilli inhaerebant omnino abolitis et oblitteratis.

Eſt itaque caluities ſenilis nil niſi capillorum gangraena, ex ſenectute eiusque ſequelis inducta, quarum e fonte non ita raro in aliis etiam partibus corporis, a centro vel corde, e quo vita exit omnis, maxime remotis, in pedibus v. c. gangraenam ſenilem, vt vocant, prolatam videmus. Caeterum prorſus analogi quid natura in arboribus noſtris offert oculis. Sicut nempe arborum folia vel autumno quouis *ab externo frigore*, vel ob perturbatam trunci nutritionem ſicceſcunt, flacceſcunt, et labuntur poſtremo, ita etiam capilli lentiori tantum gradu aetate ſenili ob *caloris interni* inopiam et iniquam corporis nutritionem ſicci caneſcunt et defluunt, et hinc inde forſan, quod noſtri etiam capilli non hyeme quauis, vel ab externo frigore foliorum ad inſtar defluunt, calori praecipue animali tribuendum videtur.

Inter cauſas autem caluitiei remotiores, praeter eas, quas in alopecia enumerandas illi nonnunquam fauere videmus, hereditariam praecipue diſpoſitionem, crebra animi pathemata (moerorem inprimis, iracundiam, terrorem et inuidiam) morbos denique frequentes et graues, et quaecunque ſanitatem corporis magnopere infringere valent, conſpicimus.

Caeteroquin mulieres multo rarius hocce crinium morbo laborare, et affici, cotidiana docet experientia et quidem partim, vt videtur, ob ſempiternam velationem die nocteque caput fouentem, ob ſuſtentatam hac ipſa cutis et mollitiem et perſpirationem, partim vero et praecipue ob ceſſantem prouectiore aetate fluxum menſtruum, cuius ob ſuppreſſionem carbonium, pilorum quaſi pabulum, tum cum caluities accedere ſolet, in corpore retentum, pilorum defluuium prohibet *y*). Rarior etiam et tardior caluities eunuchis euenit, neſcio an ob ſublatam quamuis ſpermatis ſecretionem et eiaculationem, aliasue ob cauſas nobis ignotas.

Prognoſis.

In ſananda caluitie ſpes nulla affulget. Senex enim iuuenis fieri nequit, neque magis, illam quae proferunt, cauſae remoueri poſſunt. Caluities itaque merito inſanabilis putata, vix vnquam cauſarum euitatione paulolum retardari vel praeuerti poteſt.

B.

y) V. Schenk obſ. med. Vol. I. obſ. 10.

B. *De Alopecia et Ophiasi.*

Caluities praematura, quam vulgo alopeciam vocamus, multo quidem respectu cum senili conueniens eique simillima, nonnullis tamen in rebus ab ea omnino discrepat. Veteres caluitiem praematuram primo quidem in alopeciam (a notissima voce graeca deriuandam), vel talem capillorum lapsum distinguebant, in quo caluities, sub qualibet figura dilatata, magnam et rotundam formet aream; deinde autem in ophiasin, cum area tortuose, serpentis more *z*), capillos sensim sensimque consumens ex occipite plerumque haud magna latitudine ad aures proserpat, et ex his nonnunquam ad frontem vsque progrediatur *a*).

Vterque autem morbus etsi figura et nomine ab altero diuersus, natura tamen ipsa nequaquam ab altero differt, sed idem cum altero est morbus, amboque ideo nomina promiscue vsurpari possunt. Nomina nonnulla alia, eidem quae tribuebantur malo, morbum psylloticum v. c., thyriam etc. tetigisse sufficiat, neque prolixiori expositione digna putamus.

In alopecia vero capilli modo antea fissi, cani et sicci, modo nulla eiusmodi mutatione praegressa, partim ob imminutam totius corporis et harum praecipue partium nutritionem, et ob mirum illum, eumque tam grauem pilorum consensum cum cerebro aliisque corporis partibus, partim denique ob mechanicas aliasue specificas causas morbosas ita infeste afficiuntur, vt labefactati et aegri, vel cum radice, vel saepius ea relicta in corio *b*) sensim sensimque et quidem primo vt plurimum in temporibus defluant.

Caeterum caluitiem etiam praematuram, sicut senilem in mulieribus et eunuchis rarius obseruamus.

Originem vero praematuri capillorum defluuii in totius corporis et praesertim cutis constitutione praua, magis quam in pilorum aliqua propria et morbosa affectione quaerendam esse, ex iis quae

z) Vnde nomen etiam e graeca deductum lingua, ὄφις.

a) V. Frank. de curandis hominum morbis Lib. IV. p. 122. Heurnii opera etc. L de morbis capitis cap. III.

b) Quod siue eodem modo, quo in caluitie senili, vna cum epidermide mutatum, siue in crustosam, furfuraceam, et herpeticam superficiem, eamque ab exsudata materie acri, purulenta, nec non interdum corrosiua, humidam semper et excesam, conuersum est.

quae de eius caufis dicemus, fatis patebit. Hae vero, quarum e fonte alopecia originem ducere foleat, quales fint, quam variae quamque diuerfae, quanta earum copia, iamiam propius perfpiciamus et quatenus vno alteroue modo hanc pilorum affectionem proferre valeant, feorfim exponamus.

Primo quidem diffolutam viuendi rationem et in venere et in baccho epulisque luxuriofam, luem porro veneream, profufam quamuis fpermatis fecretionem et excretionem, prae omnibus itaque onaniam, crebras effe alopeciae caufas, quotidie fere obferuandi datur occafio.

Nimio enim coitu et onania, omnium fere creberrima alopeciae caufa, non nobiliffimi folum maximeque corpori affimilati humores profunduntur et diffipantur, fed vehementer etiam nimia exaltata phantafia fenforium et cerebrum afficiuntur. Lues autem venerea tam, quam mercurius ad eam fuffocandam et fanandam adhibitus, fyftema productiuum, praefertim cum in longum protrahatur morbus, infefte nimis et vehementer afficiunt, et totum corpus humanum tantopere veneno fuo impraegnant, vt facile, cur defluant pili, appareat.

E febribus acutiffimis, quarum furore et aeftu adeps, qui corio fubiacet, quafi confumitur, et nutritio valde perturbatur, exque iis morbis, qui fenforium et cerebrum praecipue afficiunt, quales morbi funt mentis, febris neruofa et putrida vt vocant etc., aegrum nonnunquam, etiamfi iam conualefcat, alopecia et quidem fubitanea vel intra paucorum dierum interuallum plerumque nata, foedatum euadere videmus, quam tamen reftitutis viribus, integris et nouis vt plurimum capillis rurfus fanatam et fublatam confpicimus. — In vltimo vel conclamato, vt vocant, phthifeos ftadio, in colica faturnina aliisque eiusmodi veneficiis, inprimis vero in iis, quae ex arfenico et mercurio prodeunt, in diarrhoea denique chronica, colliquatiua *c*) ob labem totius corporis miferrimam et debilitatem organorum, quorum functionem et vigorem ad fuftentandam vitam et fanitatem vno ore neceffariam iudicamus, pilorum

c) Tefte FRANK de curand. hom. morb. T. V. pars II. p. 451.

pilorum euenit defluuium, et celerrimum quidem, fimulac poftremum et lethiferum morbi ftadium accedit.

Tinea, eaque praefertim maligna, quae pilorum etiam radices adit, exedit et deftruit, lepra porro et herpes malignus tantopere interdum cutem corrumpunt, pilorumque radices materie acri fua erodunt, vt facile exinde alopecia nafcatur. — Crebra capitis, fudore madentis, refrigeria, infolatio lauto praecipue capite *d*), quin nimia etiam pediculorum copia fenfim fenfimque tale capillorum defluuium valent proferre, quae quidem omnia corium, cui inhaerent pili, vel ita relaxant, vel confumunt, alioue modo tam infefte afficiunt, vt crines haud rite fuftentati defluant, et hinc inde — alopecia nafcatur. — Pileorum autem galearumque magni ponderis decus et ornamentum, quibus nobiliffima corporis pars, capitis nempe fuperficies eiusque vertex praecipue inepte oneratur, quod in militibus haud raro animaduertimus, inter frequentiffimas alopeciae caufas numeranda funt. Crapulae praeterea frequentes, et narcoticorum, opii inprimis, abufus, cephalalgia frequens et vehemens, nutritionis inopia ex fame diuturna ciborumque penuria, acria et corrofiua quaeuis ad capillos admota, animi pathemata vehementia et crebra, cicatrices in cutanea capitis parte, vulnera, nimiae peruigiliae nocturnae, ftudiis et meditationi dedicatae, imminutus quibuscunque ex caufis calor internus, puerperium nimis frequens nimisque cito repetitum, ignis ferro ad capillos, vt crifpentur, crebro admotus, quaecunque demum pilorum radices euellunt, erodunt et diruunt, vel eorum nutritionem imminuunt; alopeciam hanc, ob caufas facile perfpicuas vel et cognitas iamiam, plus minusue vel maturare tantum, vel proferre valent.

Periodicum capillorum defluuium in hominibus, etiam nonnunquam, ita vt vere quouis recurrat, aeftate autem nouis femper et integris crinibus emendetur, obferuatum legimus *e*).

Multo tamen manifeftius periodicum tale defluuium pilorum in quadrupedibus animalibus, idemque pennarum plumarumue in volucri-

d) V. Hiftoire de l'Academie royale des fciences, Paris 1770. p. 50.
e) V. Frank. l. c. L. IV. p. 15.

volucribus ſub manifeſtis aegritudinis ſignis, dato ſemper tempore rediens, apparet. —

Caeterum endemicam alopeciam in Barbaria conſpici ferunt; congenitam autem, cuius nonnunquam ſingula pauca occurrunt exempla, obſeruatam legimus *f*).

Prognoſis.

In alopecia ſananda res maximi eſt momenti, vtrum cum radice, an ea in corio relicta, defluerint capilli. Facillima quidem in genere eorum eſt nutritio, niſi corium ipſum, cui inhaerent pili, morboſe affectum eſt; facillimum adeo nouorum crinium incrementum, niſi radix ipſa ita affecta eſt, vt vna cum ſtirpe deflueret; aegre autem vel omnino nunquam, pilis cum radice lapſis, in priſtinorum locis noui producuntur crines. In vniuerſum tamen, quo facilius cutis frictione aliqua applicita erubeſcit, eo melior eſt prognoſis, eoque facilius alopecia ſananda; quodſi vero pallida area fricta non erubeſcit, vix medelam vllam ſperaueris. Praeterea vero prognoſis in ſananda alopecia ab iis praecipue, quibus inducta ſit, dependet cauſis. Omnium quidem facillime iſta, quae vehementia febrium acutarum adducta aegro conualeſcenti iam euenit, natura ſanatur ipſa; reſtitutis enim viribus, noui etiam et integri producuntur pili. In alopecia ex hereditaria diſpoſitione nata, ſpes nulla ſanationis affulget. Quae vero tineam *malignam*, lepram et elephantiaſin, crinium etiam radicibus eroſis, comitatur alopecia, quaeue cicatrice aliqua, corio deſtructo, adducitur, nunquam medicanda eſt; in iſta tamen, quae ex herpete vel ex tinea nata capitis ſuperficiem defoedat, priſtini lapſi capilli, ſanatis morbis ipſis, interdum lanugine aliqua alba, totam illius aream obducente, paululum ſubſtituuntur; quae contra e tinea *benigna* progreditur, non ita difficile, morbo ipſo remoto, natura medicatrice ſanatur. Si alopecia e lue venerea inueterata, vel e mercurii in ea abuſu emanat, ſpes nulla affulget; neque multo facilius ea, quae ex onania, nimio coitu originem duxit, ob magnam virium proſtrationem et debilitatem e ſpermatis profuſa iactura adductam, — vitio illo autem

f) V. Starks *Archiv* T. 4. p. 684.

tem continuante, omnino nunquam remouetur. Alopecia ex hectica febri, vel e veneficiis fupra dictis orta, dum vel mors ipfa curam praeuertit omnem, vel fanitas et vires ita debilitatae et exhauftae funt, vt vix nouos crines producere valeant, aegre vel omnino nunquam fanatur. Quae denique e reliquis caufis nafcitur alopecia, pro indiuidui fanitate et vi productionis, pro caufarum deinde intenfione et natura, faepius rariusue, maturius tardiusue medicatur, in vniuerfum tamen faepius praeuerti poteft.

VIII.
DE TINEA CILIORVM.

Liceat iamiam de fingulari etiam ciliorum morbo non nifi nuperis temporibus accuratius obferuato et defcripto, quem iure forfan, tineam ciliorum, appellare poffumus, pauca adiicere. Quemadmodum nimirum in tinea capitis capillorum etiam bulbi et radices afficiuntur; ita nonnunquam *ciliorum* etiam radices et bulbi, tumentes, nigri, et femper vifcidi, ex proprio vitio, fine ftirpis ipfius morbo, deprauantur et eroduntur cum magna muci puriformis, flaui, vel et acris, facile cruftam formantis fecretione in ipfa palpebrarum fuperiorum praecipue margine e bulbi vitio adducta, nec non cum illarum pruritu et ardore iuncta. Talis autem morbofa radicum conditio in primo iam morbi ftadio ex leui, vix notabili, circa ciliorum bafin tumore, et e quadam radicis nigredine extrinfecus animaduertenda cognofcitur.

Caufam mali, quod in Heluetia endemicum effe videtur, ei, quae tineae vel et herpeti fubeft, fimillimam putamus. In fummo mali faftigio pilorum etiam apices putredine confumuntur, et breuior hinc inde illorum ftirps, inter fana vicina cilia remanens fita, chronicam plerumque nec femper leuem ophthalmiam, nonnifi ciliorum euulfione ipfa fanandam, excitat et fuftentat *g*).

g) V. *Mufeum der Heilkunde herausgegeben von der helvet. Gefellfchaft* etc. Zürch 1797. Tom. 4. cap. 6. p. 56.

IX.
DE NIMIO PILORVM INCREMENTO.

Cum in libelli noſtri liminibus de maiori, vegetiorique pilorum incremento eiusque origine in diuerſis indiuiduis ageremus; iamiam conditiones, quae huic praecipue fauent, propius illuſtrauimus, ibique vidimus, talem pilorum virtutem vel ab externo frigore maiorique colore interno, vel e fortiori corporis conſtitutione, vel e carbonii denique abundantia tamquam e fonte ſuo emanare. Quodſi vero vel ob maiorem harum cauſarum vim et intenſionem, vel ob alias rationes nobis ignotas, nimium et a natura alienum prorſusue abhorrens pilorum incrementum, vel per totam corporis ſuperficiem (hirſuties), vel in ſingulis tantum partibus, forte eueniat; hoc quidem inter morboſas crinium numeramus varietates.

Hirſutiem vero vel nimium tale pilorum incrementum in ſingulis corporis partibus tam in iunioribus, quam in ſenioribus vtriusque ſexus, inprimis vero *partim* in iis, quas vulgo viragines vocant, quasue menſtruis ſuppreſſis et obſtructis, et muliebri natura quaſi depoſita, virilitate contra induta, nonnunquam longa et praeternaturali barba praeditas videmus *h*), *partim* vero in iis, qui e pueris fortuito aliquo caſu a hominum ſocietate ſegregati ideoque ſoliuagi, omnique humana inſtitutione et cultu priuati in ſyluis et deſertis vitam ſuam miſerrimam elingues, et feris ſimillimi, omnique aëris et tempeſtatis rigori expoſiti, nec veſtimentis induti transegerant, poſtea vero capti per totam corporis ſuperficiem pilis foedati in humanam ſocietatem reducebantur; interdum obſeruauere. Sunt etiam, quod ex itinerariorum nuntiis fide dignis accepimus nationes totae, inſularum praecipue in pacifico oceano ſitarum gentes incolae, quae nudae, et veſtimento quouis deſtitutae, frigorique aëris expoſitae, ita hirſuti ſub diuo incedant, vt vix a brutis diſtingui poſſint *i*).

Hirſutiem in puero cito natam *k*), aliam vero in dorſo infantis *l*), ſine manifeſtis in vtroque caſu praegreſſis cauſis, e quarum fonte

h) V. Schenk l. c. Vol. I. obſ. 14.

i) V. Liebsch l. c. p. 90.

k) V. *Salzburg. medicin. chirurgiſche Zeitung* B. I. p. 151.

l) V. Hufeland *Journal der pract. Heilkunde* B. 14. St. 3.

fonte hirſuties fluere potuiſſet, obſeruatam legimus. Praematura barba in pueris onaniae vitio ſeſe inquinantibus nonnunquam obſeruata eſt, nec alia barbatorum infantum deſunt exempla *m*).

Innatae hirſutiei cum pilorum canitie exemplum nobis traditum eſt *n*). Congenitae denique hirſutiei aliud ex horrore matris grauidae (*Verſehen*) ſub cerui hirſuti aſpectu commotae, legi quidem *o*); vix tamen crediderim, tale quid hirſutiem proferre valere *p*). Quemadmodum autem hyſtricinos ita dictos homines hirſutie ſimul nonnunquam affectos legimus, ſic in aliis contra hirſutie laborantibus cutis, durior et rigidior facta, magnam patitur mutationem, cuius origo e crinium arcto cum cute conſenſu manifeſte facileque illuſtratur. Caeteroquin hirſuties, e nullis certis haud raro, nec manifeſtis cauſis praegreſſis originem ducens, morbus eſt hereditarius, ita vt e matrimonio eorum, qui hoc morbo ſint affecti, hirſuti etiam vtplurimum progrediantur infantes.

Ex antiquiſſimis vero temporibus ſub iudice lis eſt, et acerrime diſputatum, vtrum pili poſt mortem etiam in cadaueribus creſcere poſſint, nec ne. Alii quidem huius opinionis adſeclae multas et graues adiiciunt rationes, quarum ope tale pilorum incrementum poſt mortem illuſtrari poſſit, et experientia inſuper ipſa fulciri videntur. Alii contra, qui tale incrementum nullum dicunt et omnino reiiciunt, rationes non minoris momenti in ſuae opinionis fauorem proferunt.

A priori quidem, vti vocant, hac de re non multa, quae illud vel comprobent, vel prorſus refutent, diſputari queunt, et experientia tantum, ſiue experimentis hac de re inſtitutis de eius vel veritate vel fallacia diiudicabitur. Iam tamen, vtra harum praeferenda ſit ſententia omnibus perpenſis, etſi propria experientia ſim deſtitutus, paululum videam.

Qui ſcilicet vel minimum quoduis pilorum poſt mortem incrementum nullum dicunt, e rationibus ſeorſim proferendis vel hoc arguere nauant, vel opinionem ſuam defendere poſſunt:

"Fabulas

m) V. Schenk l. c. Vol. I. p. 6. Vol. II. obſ. 283.
n) V. *Hamburg. Magazin* T. 22. St. 2. p. 115.
o) V. Lavater's *phyſiolog. Fragmente* T. 4. p. 68.
p) De aliis eiusmodi exemplis v. Voigtel l. c. T. I. p. 93.

"Fabulas nempe veterum ipſas (quae tale teſtentur incremen- „tum) ſicut tam multas alias illorum obſeruationes, fallaces nec „valde fide dignas eſſe, contra adiiciunt; recentioribus autem ob- „ſeruationibus et exemplis fidis nos vsque nunc eſſe deſtitutos. Nus- „quam analogi quid in rerum natura nobis obuenire, nusquam „ſcilicet partes et organa, quae in viuo animali creſcant exque „eius ſanguine et humoribus nutriantur, et functioni alicui graui „inſeruiant, poſt mortem etiam, quippe qua et fluida et ſolida „quaeuis mutentur et peruertantur, et priſtina nutrimenta pilis „prorſus denegentur, ſicut antea creſcere et vigere poſſe; adeoque, „cum ſenibus, etiamſi viuis adhuc, nec non iunioribus nonnun- „quam ob nutritionem perturbatam aliasque cauſas omnium capil- „lorum defluuium eueniſſe non ita raro videamus, maiori iure poſt „mortem etiam eorum nutritionem tolli, contendendum eſſe; nun- „quam praeterea tale quid in balſamitis obſeruatum eſſe corporibus. „Quodſi demum tale incrementum interdum obuenire videatur, „hoc illuſioni opticae adſcribendum eſſe, dum pili ob cutem poſt „mortem magis magisque maceſcentem cum radicibus ipſis magis „magisque proueniant, ideoque poſt mortem etiam creuiſſe ap- „pareant."

Iam vero eorum contra, qui tale crinium incrementum poſt mortem re vera euenire aſſerunt, argumenta et quae iis addi poſſe videntur, proferamus. Quamuis nempe veterum iſtis obſeruatio- nibus et exemplis, "cadaueribus diu iam humatis, poſt longum vero temporis interuallum rurſus effoſſis, longam fuiſſe barbam, etſi eam ante humationem ſuperſtites reſectam teſtati ſint," non ita magnam fidem habere poſſimus; non deſunt tamen et recentiores obſeruationes et exempla, in theatris praecipue anatomicis re- perta *q*), quae talem teſtentur opinionem. Ipſa autem pilorum nutritio et nouorum productio nonniſi exiguas tantum vires et exi- gua naturae molimina poſtulare videtur, et hinc inde crinium in- crementum poſt mortem nonniſi vegetationis proceſſui imputan- dum credunt, cui putredo in cadaueribus (quippe qua carbonium, pilorum quaſi materies nutrix, augeatur) ſicut plantarum incremento faueat,

q) Sicut in noſtro Gottingenſi ipſo obueniſſe accepi.

faueat, et eius quafi fcaturiginem praebeat *r*). — Neque in pilis folis tale quid obuenit, fed in vnguibus etiam, partibus pilis fimillimis, tale quae incrementum poft mortem teftentur, adfunt nobis exempla *s*); e quibus omnibus etiam, cur pili et vngues omnium corporis partium minime putredini poft mortem fubiecti fint, luculentiffime illuftratur.

An vero, quae pars pilis fimillima, epidermis etiam corporis laefa aliquantulum poft mortem regeneretur, nullibi experimenta vel obferuationes, quae arguant, legi, etfi, fac res ita fe habeat, hoc magnum illi opinioni fuppeditaret argumentum. Caeterum, etiamfi haec res aliter fe habeat, non ideo tamen opinio ifta reiicienda erit, quia natura, ad epidermidem producendam, maiores iam vires poftulare videtur. Nonnulli denique in fauorem opinionis huius obferuatum afferunt *t*), crines cum radice euulfos vel elapfos, inque aqua pofitos, fponte paululum creuiffe adhuc, licet mihi faltem, qui idem faepius fecerim experimentum, hoc tamen nunquam obuenerit, ideoque dubitandum videatur, an res ifta, de qua fine largiori faltem experientia diiudicari nequit, ita fe habeat. Quodfi vero haec etiam obferuatio inter falfas numeranda foret, neque ideo ifta refelleretur fententia.

Quod ad illorum demum opinionem: "ob maiorem cutis in cadauere maciem pilorum poft mortem prouentum magis apparuiffe tantum, quam vere fuiffe;" nihil huic obiiciatur, nifi quod *hoc modo* nunquam tam confpicuum pilorum longitudinis augmentum proferri poffit, quam quod poft mortem obferuatum multi contendant.

Nullum quidem denique, praeter vnguium et crinium exempla, analogum aliud alius in corpore partis poft mortem incrementum nobis offertur; verum enim vero iftae partes a rationibus crefcendi et intereundi, quas in reliquo corpore obferuamus, ita abhor-

r) V. Hufeland l. c. T. XX, St. 4. p. 88.

s) V. Voigtel l. c. Tom. I. p. 88. — Ephemerid. nat. curiof. Dec. I. Ann. I. obf. 123.

t) V. *Handbuch der menfchl. empir. Phyfiologie* von Authenrieth, T. 2. p. 278.

abhorrent *u*) — vt contrarium inde in rem noſtram nequaquam prodeat argumentum. Quibus omnibus rationibus et exemplis commotus, neque fidis ſatis neque grauibus refutatus argumentis, ſed illuſtrium inſuper virorum conſenſu fultus — donec ſaltem largior experientia, quae ſola hac de re diiudicare valet, cuique argumentum quoduis cedat neceſſe eſt, contrarium probet — in eorum interim, qui tale crinium incrementum poſt mortem obuenire aſſerunt, tranſeo partes. — Hactenus quidem de nimio pilorum incremento; iam vero ad aliam libelli ſectionem transeamus.

X.
DE GENESI PILORVM ANOMALA.

Quemadmodum nonnunquam quoad crinium maius minusue incrementum anomalias obſeruamus, ita etiam quoad partes diverſas, quas veſtiunt pili, eorumque ſedem morboſae interdum contingunt varietates. Natura ſcilicet quandoque errorem quaſi loci committere videtur, easque partes et organa tum externa tum interna, quae antea omnino depilia erant, mirandum in modum crinibus armat. Quae quidem anomaliae (vnde veniant) etſi in vniuerſum ingenii fines humani excedere, et explicationem quamuis fugere videantur, nihilominus tamen curatiori indagine e phaenomenis ſingulis et cauſis praegreſſis paululum deduci, illuſtrarique poſſunt, licet natura ipſa et origo horum phaenomenorum in tenebris vtplurimum lateant denſiſſimis.

Huiuscemodi autem naturae anomaliae, quales omni aera ſint obſeruatae, tam in virilis, quam in ſequioris ſexus mortalibus, tam in caſtis virginibus, et adoleſcentibus, quam in libidinoſis et luxurioſis, tam in iunioribus denique, quam in aetate prouectioribus vtriusque ſexus obuenerunt, ita vt e tali diuerſitate nihil, vnde illarum affectionum pateat origo, ratiocinari poſſimus.

In nonnullis autem anomalae pilorum geneſeos caſibus inſolitum iſtud et ſingulare eorum incrementum in iis praecipue organis

u) v. c. velociori per vitam incremento et tardiori ad putredinem procliuitate.

ganis vel partibus iisque indiuiduis obferuauimus, quae ad luxuriantes et anomalas quasuis productiones, corporis humani quafi parafitas (hyperfarcofes etc.) propenfa, nimia expanfionis vel et anomalae productionis vi, fimulatque laxiori vel pinguidiori ftructura et conftitutione funt praedita; itaque fit, vt genefin iftam crinium anomalam praecipue partim in laxis et mucofis membranis, glandulis muciparis obfitis, quales faucium et oris cauum, linguam *v*), vel et vaginam *w*), atque narium internam fuperficiem *x*) obducunt; partim vero in parafitis illis, alienis et luxuriantibus productionibus, qualia funt, meliccrides, tumores cyftici, fteatomata, naeui, verrucae, polypi, lentigines, condylomata etc., vbicunque demum fint, animaduertamus. — Lues autem venerea et arthritis, quibus fpecifica vis ineft, tam in membranas mucofas eiusque glandulas infefte agendi, quam productiones iftas alienas procreandi, magnum etiam, vt videtur, obtinent imperium, vt tale infolitum proferant crinium incrementum. Sub plurimis autem huiuscemodi productionibus parafitis, vel in earum vicinitate, quod e lentiginum et naeuorum colore maxime confpicuum apparet, carbonii magna deponitur copia, cuius accumulationem admodum maiori et infolito cuiuis pilorum incremento patrocinari, alias iamiam vidimus. In longe plurimis vero genefeos crinium anomalae exemplis inflammatio earum partium, quae praeter naturam pilis veftiebantur, anteceffiffe videtur, quam faltem caufae iftam interdum praegreffae, multaque alia inflammationis antecedentis figna (lympha v. c. plaftica exfudata, adhaefiones, abfceffus etc.) aperte teftantur.

In libro v. c. illo, quem auctore Scholzio confcriptum accepimus *y*) exemplum nobis narratur, vbi venter mulieris e fcala deiectae non ita diu poft cum vehementiffimis doloribus magnisque moleftiis tumuit, et mortuae demum in ventre, fectione facta, grande

v) V. Voigtel l. c. T. 2. p. 142.
w) V. l. c. T. 3. p. 450.
x) In hisce omnibus enim eiusmodi productiones crinium anomalae funt obferuatae.
y) Scholz, *wunderbare Haarkrankheit* etc.

grande pilorum concrementum, quod fecum tulerat mulier, in confpectum prodiit, vnde facile luculentiffimae inflammationis praegreffae et anomalae pilorum genefeos ipfius origo et caufa apparebunt. Caeterum analogi quid in exemplis etiam fupra dictis *z*) haud raro praeceffiffe perfuafum habeo. Similes porro, etfi non magna femper fide dignas obferuationes accepimus, vbi ob praegreffas, vt credo, inflammationes vel e fiftula abdominali prodierint pili, vel in mammis, ftomacho, hepate, et renibus, vel in corde ipfo *a*), vel in ferofis denique membranis, qualia funt dura mater *b*), omentum *c*), et pericardium, crines confpecti fint haerentes, a multis iure magno non nifi pro lymphae coagulabilis fibris habiti. Melicerides autem, tumores cyfticos, aliasque eiusmodi productiones anomalas, in quibus praeter naturam crines nonnunquam obferuatos diximus, harum partium, in quibus ifti infixi infident, inflammatio vtplurimum praegreffa effe videtur. Neque defunt exempla, vbi crines in vefica vrinaria cum luculentiffimis adeo inflammationis praegreffae fignis *d*), vel in teftibus *e*), nifi ipfa forfan horum fubftantia ex fuppuratione fibrofa plerumque, pro pilis habita, fefellerit, confpecti fint. Si vero crines aliquis cum vrina mififfe tibi nuntiatur, vtplurimum fraudem, cuius hac via commiffae haud rara accepimus exempla, fufpicari debes *f*). Ifta contra pilorum concrementa, quae vel ouariis et tubis Fallop., vel inteftinis infixa quandoque confpiciebantur, vel a mulieribus vomitu fiue alui excretione nonnunquam emittebantur, e falfa aliqua conceptione extrauterina vtplurimum orta effe, eo maiori iure argumentari poffumus, cum vna cum pilis plerumque aliae etiam corporis humani partes, ficut dentes, offa etc., certa falfae conceptionis figna in confpectum prodirent.

Vbi

z) In vaginae nempe, faucium, oris, linguae et narium membranis mucofis.

a) V. Voigtel l. c. T. I. p. 439, 578, T. II. p. 492.

b) V. T. II. p. 14.

c) T. II. p. 396.

d) Abfceffu v. c. V. Voigtel l. c. T. III. p. 342.

e) V. l. c. p 405.

f) V. Pyl, *Magazin der gerichtlichen Arzneikunde.* II. p. 135 et feq.

Vbi autem tale quid in virginibus, adhuc omnibus integritatis ſignis ornatis, et absque praeuia quauis vteri mutatione inueniretur, ibi vel inflammationem praegreſſam, vel alias forſitan anomalae huius productionis cauſas nobis ignotas ſupponere debemus *g*). Mira pauca etiam in medicorum faſtis adnotata ſunt exempla, vbi ex innata quaſi grauiditate tam in pueris, quam in puellis, crines et oſſa atque dentes vel per fiſtulam abdominalem poſt varias ex tumore et inflammatione moleſtias eiicerentur, vel poſt mortem ſectione facta in conſpectum venirent *h*), quod quidem ita eueniſſe videtur, vt foetuum alter alterum (viſceribus adhuc extra ſitis) ſenſim ſenſimque in ventrem ſuum includeret, hic vero nutritione priuatus et putredine conſumtus prius tardiusue, inflammatione et ſuppuratione praegreſſa, particulatim per fiſtulam eliminaretur.

Caeterum haud raro grauiditas et diuturna quaeuis menſium obſtructio, ob carbonii retentionem, ad eiusmodi anomalam crinium productionem, tam in ouariis et tubis, quam in aliis etiam corporis partibus, maximam partem conferre videtur.

Huc denique molae etiam crinitae, vel pilorum iſta concrementa cum dentibus, oſſibus, aliisque foetus reliquiis, eaque pingui vel ſanguinolenta materie conglutinata, poſt grauiditatem plerumque in vtero conſpecta, vel ex eo excreta ſpectant *i*).

Caeteroquin vbicunque vel in meliceridibus aliisque eiusmodi tumoribus, vel in internis etiam nonnullis partibus crines praeter naturam obſeruarentur, hi ipſi plerumque bulbo omnino deſtituti, neque epidermide obducti, caeterum tamen reliquis pilis in corporis ſuperficie vtplurimum ſimilibus, adipi inhaerebant *k*).

Ab hisce autem alienis crinium productionibus, iſta quidem crinium concrementa globoſa, quae in boum interdum aliorumque animalium ventriculo inueniuntur, quaeue nonnunquam ab hominibus ipſis vomitu eiecta *l*) obſeruata ſunt, rite diſtinguantur

neceſſe

g) V. Voigtel. l. c. T. III. p. 541. 542.

h) V. Hufeland. l. c. T. XX. St. 2. p. 154 et ſeq.

i) V. Osianders *Entbindungskunſt*. T. I. p. 253.

k) V. Authenrieth l. c. T. II. p. 332 et 334.

l) Hyſtericas enim mulieres, aliosque nonnunquam homines ſingulari inductos malacia res omnino alienas deglutire, vulgo notum eſt. V. Voigtel l. c. T. II. p. 509.

necesse est, quippe quae non in corpore ipso generata, sed extrinsecus per os in stomachum ingesta, globosam istam assumunt formam.

Huc etiam lanugo, quae a foetus adhuc in vtero versantis cute elapsa, et ab hoc deglutita, posthac in meconio excreto haud raro conspicitur, referenda videtur.

In sanguine autem et sub cute denique (in plica nimirum polonica), qualis veterum vulgaris fuit opinio, pilos obseruatos esse, et varias magnasque ibi excitasse molestias, iure inter fabulas numeramus, neque ampliori mentione dignum iamiam transeamus.

XI.
DE VIRVLENTIA PILORVM CONTAGIOSA.

Initio iamiam, cum prima libelli nostri adiremus limina, pilis functionem aliquam excretoriam, et quidem functioni cutis simillimam, subesse vidimus. Omnia autem fere organa excretoria in morbis contagiosis vehementer affici, et quidem praecipue dum crisium accedit stadium, plus minusue haud raro contagio ipso scatere, eiusque excretionem adiuuare, ideoque facile materie ex illis excreta contagium ipsum in alios transferri posse *m*), constat; et hinc inde summo etiam iure ratiocinari possumus, pilis etiam ob functionem suam excretoriam facile contagiosi quid inhaerere, et magnam quoque in omnibus morbis contagiosis vim et naturam inesse contagiosam, cuius ope longo etiam temporis interuallo venenum istud rursus aliis adhuc impertire, et propria sua virulentia morbum (etsi diu iam sanatum et fugatum) denuo propagare possint. Eheu praeterea experientia et funestissima memoria docent, quot quantaque mala, quam miserrima clades pro hominum memoria et vltra eam, e contagiosa hac pilorum natura haud semel in homines emanauerint. Solo enim v. c. contagio varioloso olim fascia aliqua vel collari, e pilis varioloso morbo mortui texto, e Britannia in terram istam, quam "Labrador" vulgo vocamus, translato, vix

m) Qualis est v. c. sudoris vis in febre hectica, intermittente (?) neruosa, putrida et in aliis morbis contagiosis.

vix credibile eſt, quanta mortalitas quantaque miſeria in iſtam regionem effuſa ſit, ita vt non ſinguli ſolum perirent, ſed tota fere incolarum ſtirps ob fatalem hanc pilorum virulentiam et variolarum ſaeuitiam funditus deleta et eradicata eſſe videretur *n*).

Quanto vero nunc iure, pares, quin maiores interdum miſerias e peſti aliisque eiusmodi morbis lethalibus et contagioſis eadem hac infectionis via hominibus illatas eſſe vel inferri ſaltem poſſe, (licet eas hocce temporis momento verbotenus enumerare neſciamus) argumentari poſſumus. Neque enim ita raro eadem hac infectionis via euenit, vt e collarium e pilis confectorum ornamento, ſcabiem vel alium herpetem malignum translatum videamus. Parem autem virulentiam non humanis ſolum pilis, ſed brutorum etiam pelli et lanae, nec non veſtibus aliisque inde textis nonnunquam ineſſe et clanculum inhaerere, funeſtiſſima experientia docti ſumus, quippe quibus magna eiusmodi mala hominibus non ſemel ſint illata.

Eſt itaque res maximi momenti, hasce quam funeſtiſſimas virulentiae pilorum contagioſae ſequelas, quantum fieri poſſit, praecauere et auertere, et quidem ſummae magiſtratus vigilantiae, vtpote res politiae medicinalis, mandandum eſt, vt vigiletur, ne in morbis lethiferis et contagioſis eiusmodi aliquid accidere queat, vt tanta auertatur clades.

XII.

DE TONSIONIS SVPPRESSAEQVE FVNCTIONIS PILORVM SEQVELIS SIVE SALVBRIBVS SIVE DAMNIFERIS.

Capillorum formam quoad longitudinem vel breuitatem, prout mos vel ornamentum aliquod inane eam exigat, neutiquam rem eſſe exigui nulliusue momenti, ſed magnum adeo exercere imperium in valetudinem corporis humani, partim quidem iam ex eorum functione graui ſupponere licet, maxime tamen et luculentiſſime

n) V. Cartwright, Journal of tranſactions of the coaſt of Labrador T. I. p. 273. T. II. p. 424.

tiſſime e tonſione pilorum eiusque ſequelis ſanitati tum ſalubribus, tum damniferis (pro diuerſa eius conditione), et ex iis denique incommodis, quae originem ſuam e functione pilorum ſuppreſſa trahant, apparebit.

Tonſione enim *altera ex parte* capillorum functionem excretoriam plus minusue perturbari vel omnino tolli, aëremque frigidum deinde eo infeſtius, quo ſub pilorum tegmine vegetius ſuccedat transſpirationis cutaneae opus, nudam capitis ſuperficiem ſudore vtplurimum humidam afficere — tonſionis igitur ſequelas eas eſſe, quae transſpirationem ſubito ſuppreſſam ſequi ſoleant (catarrhalis itaque, rheumaticae et arthriticae originis); facile cuilibet erit intellectu; *altera vero ex parte* electricae affluxum materiae ex aëre in corpus eiusque reditum magnopere praepediri — in vniverſum itaque corporis ſanitatem humani tonſione perturbari et infringi poſſe, licet non ſemper tam conſpicua et manifeſta ſequantur ſymptomata, facile elucebit. An vero tonſione magna ſanguinis copia in cutem et pilorum radices deriuetur, reliquisque corporis partibus detrahatur, vt noui proferantur et creſcant pili, an exinde damniferae illae tonſionis ſequelae magna ex parte deducendae ſint, quod nonnulli exiſtimarunt; mihi quidem nulla ex parte veriſimile videtur, quippe quia in breuiori crinium ſtirpe non tanta humorum copia, quam in longioribus, vnquam recipi poſſit, vel fac etiam maior ſanguinis copia in nouorum pilorum incrementum conſumatur, haec tamen non niſi exiguam partem illam, quae antea poſtulabatur, exſuperaret.

Veterum vero et recentiorum adeo nonnullorum opinionem, crebra capillorum et barbae reſectione totius corporis robur vigoremque poſſe eneruari, et propagationis facultatem infirmari, inter fabulas numerandam cenſeo, et omnino non tantam, quantam veteres opinati ſunt, vim huic crinium reſectioni eſſe imputandam, mihi perſuaſum eſt. Hos enim, qui tale quid crediderunt, mirus iſte et vulgo cognitus pilorum conſenſus cum grauiſſimis corporis partibus, cum ſemper maius corporis robur cum maiori crinium incremento copulatum conſpicerent, ita fefellit, vt pilis eorumque

que tonſioni nimium imperium in totius corporis valetudinem tribuerent *o*).

Magnum enim tale pilorum incrementum potius pro virium magnarum ſequela, nequaquam vero pro earum cauſa eſſe habendum, mihi ſaltem ſicuti multis aliis perſuaſum eſt; ideoque illorum etiam opinionem: maiorem forſan putatitiam virtutem illorum militum, qui myſtace ornati ſint, ad hanc ipſam referendam eſſe *p*), probare nequimus, neque maiorem fidem illi ſententiae: acutioris ſemper ingenii, qui longioribus pilis veſtiti ſint, habere poſſumus. Israelitis, quibus libenter quidem verſutum concedimus ingenium, nequaquam tamen, etſi longiori barba ſint praediti, ideo et maius virium robur iure tribuendum foret; neque ob barbam eos, vt vulgo dicunt, ad propagationem alacriores et omnino libidinoſiores eſſe, ſed ob maturam potius praeputii circumciſionem, ſi res vere ita ſe habet, id fieri mihi perſuaſum eſt.

Sicut autem e menſium obſtructione et retentione, ob carbonii accumulationem nimium interdum et prorſus anomalum crinium incrementum prodire videmus, ita etiam contra, cum pili et vterus pari et vicaria quaſi functione in magnum trahantur conſenſum, e pilorum tonſione fluxum augeri menſium, teſte viro illuſtri (Osiander) conſtat.

Fit quidem eadem transſpirationis et crinium functionis ſuppreſſio, vti in tonſione, ita in caluitie etiam et alopecia, nec non in tinea et herpete capitis maligno, neque tamen tanta exinde progrediuntur ſymptomata et pericula, quoniam *altera ex parte* in caluitie natura ipſa praeternaturali huic et inſolitae functionis pilorum ſuppreſſione ſenſim ſenſimque conſueſcat (praeſertim cum in ſenectute iam quamuis excretionem ſponte ſua imminutam videamus), in tonſione contra haec ipſa ſuppreſſio ſubito, neque raro in ſenſibiliori capitis ſuperficie eueniat; *altera vero ex parte* nouum nonnunquam naſcatur organon excretorium in capite (ex herpete v. c.), quod pilorum functioni ſubſtituatur, ideoque eius ſuppreſſionem minus nobis infeſtam reddat.

Quibus

o) V. Hufeland *Journal* etc. T. 16. St. 3. p. 100.

p) V. Hufeland l. c.

Quibus omnibus praemiſſis ad ea denique ſymptomata, quae tonſionem pilorum intempeſtiuam nonnunquam ſequuntur, proprius aggrediamur, et primo quidem, quas eius damniferas ſequelas diximus, prolixius paululum exponamus.

Quodſi nimirum poſt febres neruoſas et putridas, vt vocant, conualeſcentiae iam ingruente ſtadio, natura phlyctaenis, vel et critico aliquo herpete in capite *q*), poſtremum morbi finem ſuperare, fugareque affectat; quodſi deinde aegri capilli ob magna incommoda, ne conglutinentur, reſecantur; in ſummum vitae periculum aegrotus coniicitur; mox enim poſt *r*) grauiſſima ſequuntur ſymptomata, vehementiſſima cephalalgia, deliria furioſa, encephalitis, conuulſiones, apoplexia, et mors denique ipſa. Quae vero ſequelae, vnde veniant, facile eſt intellectu, cum in aliis etiam morbis ex ſubita criſium ſuppreſſione, vel ex herpete aliquo retrogrado, easdem ſequelas prolatas obſeruemus.

Ex quo vero mos capillos ad radicem vsque, vel ſaltem ad exiguam tantum longitudinem ſuperſtitem reſecandi exſtitit; morborum arthriticorum, rheumaticorum et catarrhalium caterua ob illorum functionem ſuppreſſam et crebram capitis nudati refrigerationem e doctiſſimorum virorum iudicio et experientia perquam increuit. Nulla enim cephalalgiae, odontalgiae, coryzae, et catarrhi capitis refrigerio crebrior eſt cauſa.

Surditas porro, ophthalmiae ſubitaneae, eryſipelas faciei, apoplexia, pleuritis, phthiſis, pertuſſis, colica, aurium et oculorum lippitudo, vertigo, amauroſis denique et cataracta, et quotquot transſpirationis ſubito ſuppreſſae ſint ſequelae, hanc interdum agnoſcunt originem, praeſertim cum ſudante capite, eoque tempore, quo mos epidemicus et rudior atque humidior aëris natura ad catarrhales, rheumaticos diſponat morbos, capillorum fit tonſio, vel hac facta aeger aeſtui et refrigerio ſeſe exponit. — Quanta autem pericula praematurae plicae polonicae reſectioni inhaereant, tum, cum hoc de morbo ageremus, iamiam vidimus.

In

q) Horum enim acrimonia et humore effluente corroſiuo capilli intime conglutinantur et dolores aliaeque eiusmodi naſcuntur moleſtiae.

r) Haud rara talia accepimus exempla V. Lanoix, mémoires de la ſociété médicale. T. I. p. 1.

In tinea capitis non nifi fummo cum periculo, quin reprimatur herpes, inque internas grauioresque partes (cerebrum praecipue ob eius viciniam) reiiciatur, capillitium totum ad radicem vsque refecatur; nec non interdum hydropem cerebri, morbum infantum tam frequentem quam exitialem et lethiferum, tonfione praecipue breui poft partum facta, talem agnofcere caufam, experientia docti fumus non nimis rara. —

An vero, quod nonnulli contenderunt, praematura et crebra barbae refectione in iuuenibus libido excitetur, et functio fexualis, maturius quam par fit, prouocetur, et hinc inde nefanda interdum nafcantur mala, etfi nequaquam verifimile mihi videatur, tamen non nifi largiori experientia refelli poteft *s*). Contra quidem eos, qui maturius et crebrius, quam par eft, fperma profundunt virile, citius haud raro barba ornari virili, alias iamiam vidimus.

Bartholinus denique in epiftolis fuis medicis *t*) exemplum, an fatis fidum nefcio, nobis enarrat; monachum quendam femper, quoties barbam tonderet, coecum effe factum, pilis autem nouis reftitutis, vifum rurfus, mirandum hercle in modum, femper recuperaffe.

Caeteroquin multo prae hominibus grauiorem affectionem vel auium in pennarum plumarumue, vel mammalium in pilorum periodica iactura et mutatione, vere et autumno quouis redeunte, animaduertimus, quae tamen maiori iure caufis ipfis, quae defluuium illud pilorum plumarumue promoueant, quam huic ipfi imputanda videtur. Hactenus quidem de damniferis tonfionis fequelis; iamiam nonnulla etiam de eius frugiferis adiicere liceat.

Sunt contra nimirum nonnullae corporis humani affectiones, in quibus crinium tonfionem non modo non damniferam, fed in fummum etiam aegroti commodum factam effe conftat, quasque, caeteris omnibus remediis fruftra in auxilium vocatis, non nifi pilorum

s) V. Hufeland Journal. T. 16 etc.

t) T. III. epift. 67. p. 275.

pilorum resectione cito sanatas vidimus. Multa inter alia accepimus exempla, morbos mentis, et horum in numero maniam inprimis vehementissimam, omnibus aliis remediis, incassum adhibitis, pertinaciter resistentem, sola capillorum resectione, breui esse sanatos *u*).

Diuturnam hemicraniam sola nonnunquam capillorum resectione remotam et sublatam esse dicunt et exemplis confirmarunt.

Cephalalgiam vehementem, cum magno virium robore iunctam, cum vtrumque mox capillorum tonsione remoueretur, ab alio ex horum longitudine *v*), ab alio autem ex inflammatorio aliquo cerebri statu, per magnum sub crinibus calorem adducto, deriuatam legimus *w*).

Monachus quidam chronica quondam ophthalmia laborans mox longissimae barbae resectione sanabatur *x*). In apoplexia vero et encephalitide capillorum resectio, quo meliorem et celeriorem vim remedia in caput ipsum applicita (qualia sunt fomentationes frigidae, spirituosae, vesicatoria, rubefacientia etc.) habeant, non exiguam haud raro partem ad aegri sanationem confert.

In tinea autem et obstinatissima quidem, cuius sanatio haud raro nimio pilorum incremento retardatur, crinium resectionem ad certam longitudinem, vel si radices etiam pilorum acris effluuio materiae male sunt affectae, morbumque sustentant, eorum euulsionem *y*) magnum suppeditare auxilium, ac magnopere sanationem maturare, haud raro cernimus. Sic in trichiasi etiam vel in ciliorum tinea horum euulsionem saepenumero summo cum fructu in auxilium vocamus.

In

u) V. Moreau, Mémoires de la *Société* médicale T. II. p. 196.

v) V. Hufeland's *Journal* T. 16. St. 3. p. 109.

w) V. l. c. T. 20. St. 4. p. 94.

x) V. l. c. T. 16. St. 3. p. 114.

y) Etsi id summa semper cum cautela fieri debeat, ne reprimatur tinea et in cerebrum coniiciatur.

In gonorrhoea denique et venereis bubonibus diſſipandis crebram pilorum circa pudenda tonſionem, et quotiescunque vel ex urethra profluuium, vel bubones denuo recurrerent, repetitam, remedium nonnunquam efficaciſſimum eſſe, quod tam gonorrhoeam magis magisque diminuat, quam bubones breui fuget et diſſipet, medicus, vir magni nominis magnaeque fidei nobis nuntiauit *z*).

Caeterum origo ſequelarum tonſionis adeo ſalubrium, cum aliis in morbis funeſtiſſima eodem ex fonte ſymptomata effluere cernamus, maxima quidem ex parte denſis obuoluitur tenebris, aliquantulum tamen e magno crines inter aliasque corporis partes intercedente conſenſu, magnaque illorum functione (quoad vim praeſertim electricam, quae in morbis praecipue mentis non ſine magno momento eſſe videtur) illuſtrata elucebit. —

Huic denique capiti, et in fine libelli noſtri ipſo, pauca de pilorum lotionis inprimis frigidae et pectinationis intempeſtiuae periculis et ſequelis adiicere, nequaquam ſuperfluum cenſeo. Lotionem ſcilicet pilorum frigidam, quouis ſit tempore, ſudante praecipue capite, ob crinium functionis et transſpirationis cutaneae maiorem minoremue ſuppreſſionem et ſubitaneam capitis refrigerationem grauia detrimenta corpori inferre poſſe, cuilibet facile elucebit. Praeterea lotio frigida crebro nimis repetita crines aſperiores et rigidiores reddit. Maximum autem fert periculum lotio capillorum infantum frigida, breui poſt partum facta; hydrops enim cerebri haud raro talem agnoſcit cauſam.

Capillorum denique pectinatione maior ſanguinis copia haſce in partes deriuari et pilorum praecipue functio animari videtur, idque ſtatu quidem ſano absque vllo corporis detrimento fieri poteſt. Pectinatio autem tertio quartoue puerperii die non ſine magno fit periculo; facile enim cephalalgia, encephalitis et fatales iſtae

z) V. Acta academ. Erfurt. T. II. p. 490.

iſtae et exitiales ſequuntur metaſtaſes lacteae (teſte viro illuſtri Osiander); nec tamen minorem perniciem ea interdum, quae poſt neruoſas fit febres, conualeſcentiae iam ingruente ſtadio, minatur. —

Quae cum omnia ita ſint, nihil demum pro finibus libelli propoſitis reliquum eſſe videtur, quod mentione dignum tam de tonſione, quam de hiſtoria pilorum pathologica ipſa adiicere poſſim; quamobrem iamiam opuſculi finem facere et optare tantum liceat, vt aliqua ſaltem ex parte exſpectationi ſatisfeciſſe videar.